Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-355784-p0001-8

33 sacke →

Ne

Sammelwerk



Continentur hoc volumine

I. Leichpredigt M. Salbachij Rectoris scholæ oppidanæ Witeb. gehalten durch D. Ægidium Hunnium ex prov. VI. & verwirft die Zucht der Herren nicht, und sie nicht vnbillig vber strafft.

II. Dictum Baptistæ Johan. I. Ecce agnus Dei tollens peccata mundi Disputatione subiectum in Acad. Witeberg. à D. Leonh. Hüttero.

III. Laudatio funebris Dn. Christiani II. Electoris Sax. conscripta & habita ab eodem D. Hütero, Anno 1611.

4. Leichpredigt D. Matthiæ Braij Hausfrawen gehalten durch D. Fridericum Balduinum ex Cor. II. Darumb wir nicht ermüden.

5. Leichpredigt M. Moritz Rinckes Burgers zu Leipzig, so im Sal. vertrincken gethan von M. Wilhelm Crusio pastore Eilenburgij ex Esa. 56. Der gerechte kömbt vmb.

5. Leichpredigt der Edlen Jungfrawen Katharinæ Dittrich Bosens Eheweibs, gehalten zu Merseburg in volkreicher Versamlung gethan von M. Caspare Voccio Superint. zu Merseburg ex Tobi 2. Si bona suscepimus &c.

5. Leichpredigt M. Marci Fabri consulis Weissenfels. gethan von Johanne Gregorio seniore diacono ex Joh. 11. Marthæ strafgespräch: Herr wenn du hie gewesen &c. Ihr vberschwenglich vnd

5. Leichpredigt Frau Dorotheen des Ehrnhafften Hrn. Christoffen Kuhnen Hausfrawen, ihres gewesten Eheherrn, gethan von Joh. Gregorio Archidiacono ex Ψ. 121. Ich hebe meine augen

6. Disputatio D. Wolfg. Francij Stralsundensis Politianum quæstiones septem

7. Investiturpredigt M. Krystoffs Schneiders Superint. zu Bitterfeld ex Epist. Dnica Invocabit. Matth. 7. gehalten von D. Frid. Balduino

8. Leichpredigt des Edlen Augustini Hugonis Hofmeisters zur Lichtenburg gehalten von Josepho Nicolide Hofpredigern daselbst ex verbis Christi Joh. 14. In meines Vaters Hause sind viel Wohnungen.

9. Kirchweihpredigt zu Hohendorff in welche Kirche die Ehrwirdige Frau Hedwig aus Denemarck mit trefflicher

10 Leichpredigt H. M. Pauli Reuters Diaconi zu Bitterfeld ex
Esa. 49. Zion sprichst: der Herr hat mich verlassen von M. Christ. Hesterio Superint.
11 Leichpredigt H. George Hattengasten Burgermeisters zu Leipzig gehalten
durch Joseph Michaelis Predigern zu Eilenburg ex Ps. 116. Ich glaube, darum
red ich: verbürgen thut mir gebett auch für mir.
11 Leichpredigt H. Caspar Meissens Rahts Cämerers zu Wittenberg
seel. von M. Materno Schilttero Diacono ex Job. 11. Ego sum resurrectio
12. Predigt zur einweihung der Neuen Thurmbrigk bey der Pfarkirchen
zum Salvator in Austria inferiore gehalten durch M. Gregorium Vincent.
ex Ps. 27. Eins bitte ich vom Herrn, das hätte ich
13 Leichpredigt Thomae Heckelij J. U. D. zu Leipzig gehalten von
D. Vincentio Dieznucken Superint. ex Cantico Simeonis Luc. 2. Nunc
14 Leichpredigt H. Abraham Fanaweri Amtschössers zu Lützen
gehalten durch M. Adamum Horschium past. de morte Josephi Gen. 50.
15 Leichpredigt Tobiae Titzmanni civis Lips. gehalten p. D. Polyc.
Leisern pastorem & prof. ex 2. Sam. 14. Wir müssen alle sterben, und wie
16. Theses Theologicae: An Ecclesiae regimen sit monarchicum, Witebergae
examinandae propositae à M. Steinbeisero.
17 Leichpredigt H. Ulrich Bernoulli mercatoris Lips. gehalten durch
D. Polycarpum Leisern Superint. ex Ps. 116. Der tod seiner Heiligen ist
A 18 Leichpredigt D. Johan. Winteri Superint. zu Torgau gehalten durch
D. Paulum Röberum Superint. zu Wittenberg ex Apoc. 2. Esto fidelis
19 De lectione novi divini Theses M. Petri Richteri. Witeberg.
20 Capitis IX. Esaiae explanatio publico examini subiecta a
M. Michaele Schneidio Bitterfeld. Wittbergae.

21. Leichpredigt M. Andreae Nitzmers Stadtpfarrers zu Merseburg B.
gehalten durch M. Mart. Hoffmann Successoren ex Apoc. 2. Esto fidelis
22. Leichpredigt Frau Marien M. Johan. Babij Pastoris zu Brandesberg Haus-
II. frau, gethan p M. Barthol. Neandrum Pastoren zu Neumarckt, ex
Ps. 116. Der Tod seiner Frömmen ist werd
23. Leichpredigt D. Eustachij Möllers Consiliary Elect. Martis pro. et
Decanj gehalten p D. Balthasaren Furmannum Superint. ex Esa. 38.
Sihe um Trost war mir sehr bange, Du aber hast dich meiner
24. Leichpredigt Hinrich von Bothfeld auf Reesen gehalt p Wolfg. C.
Thoma past. zu Bruna ex Apoc. 2. Der sagt der treue Esto fidelis
25. Leichpredigt D. Johan Olearij Hofpredigers und Saltzgrafen zu Halle &c.
thun p D. Gottfridu Olearium pastoren ibid. ex Ps. 73. Wenn ich nur dich hab
25. Leichpredigt Joachim Ernst Bosen Rittmeistern, so vor Magdeburg erschossen
gehalten p D. Balth. Furmanni Superint. zu Merseburg, zu grossen Belgia
ex 2. Tim. 4. Ich habe einen guten Kampf gekempfet
26. Disputatio contra necessitatem conjunctionis Papici cum Romano
Papatu Wittebergæ A. C. 1630. habita à D. Johanne Hülsemanno
27. Predigt vom H. Ministerio ex Hebr. 13. Gedenket an eure Lehrer,
cum actu investiturae D. Balth. Furmanni Superint. novi Merseburg.
gehalten p D. Erhardu Lauterbach Superint. zu Zeitz, 20. Novembr. 1634.
28. De catharro, de sanguinis per tussim rejectione, De Asthmate, de
dysenteria Theses Wittebergæ discussæ, Ao. 1609.
29. Disputatio juridica de Simonia Wittebergæ habita.
30 Disputatio de jure Tutelæ & Curatelæ Witteb. habita.
31. Disputatio de Exceptionibus, Wittebergæ habita.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-355784-p0005-0

32. Disputatio de Diffamatione Wittebergae habita.
33. Themata Feudalia vel de Feudis Basileae discussa.

Nota:

Dieses Land hat der Lebrechtsche Pastor Nicolaus Krumpoltz (So schreibt er sich im Abschiede p. p. n. 24.) zuerst besessen. (p. n. 1.) Hat, solches sich meine sehr alte zum Stifte Merseburg gehörige und sehr seltene Sachen darinnen, die noch von dem Merseb. Stifts Superintendenten H. Dr. Balth. Fuhrmann herrühren, von welchem N. Jacob Fuhrmann, war Probst in Cöthen, und des Merseb. Stifts Superintendenten H. Vaters. Bruder ist, auch bey dem Gymnasio zu Merseburg Collaborator gewesen. Er starb im 30jährigen Kriege.

XXVI.

D. O. M. A.

DISPUTATIO I. ORDINARIA

contra

NECESSITATEM CONJUNCTIONIS EVANGELICORUM CUM ROMANO PAPATU,

Ad DEI Gloriam

ET

Exhibitæ Augustanæ Confessionis memoriam
publicè propositæ

à

JOHANNE HULSEMANNO,
S.S. Theol. Doctore & Prof. publ.

Respondente

M. JOHANNE ULE Annæberg. Misnico,
Alumno Electorali.

In Majori Collegio Friderici ad diem 10. Julÿ.

WITTEBERGÆ,
Typis Hæredum CHRISTIANI THAM.

Anno CIↃ IↃ C XXX.

26.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-35578 4-p00 0-8

NECESSITA-

TEN CONJUNCTIONIS

EVANGELICORUM CUM

ROMANO PAPATU

DISPUTATIO ORDINARIA

XXX

DISPUTATIONIS PRIMÆ,

Contra

NECESSITATEM CONJUNCTIONIS EVANGELICORUM CUM ROMANO PAPATu.

Proœmium.

POsteaquam Diaboli invidia, & humani ingenii inconstantia, superbia, novitas, interpretes veluti egerunt Paulini illius, *Oportet hæreses esse*, ac re ipsâ comprobârunt, Spiritum sanctum de certitudine eventûs hoc denunciasse, supra modum ardua hinc quæstio nata est, & cum ipsa Ecclesiæ semente succrevit, ùt discernendæ sint hæreses in Ecclesiâ natæ, ab Ecclesiâ ipsâ, ùt Zizania cum tritico pullulantia à tritico secernenda, ùt personatus lucis angelus ab angelo ipso dignoscendus, utri accedendũ, vel à quo recedendũ par sit: adeò ut vix tàm frequentes Christianorum voces hæ sint: *Indica mihi quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie, ne vagari incipiam post greges sodaliũ tuorum*, quàm iturientium ad Christianos istæ apud Chrysostomum: *Vellem fieri Christianus, sed nescio cui adhæream, Multæ inter vos sunt pugnæ, seditiones ac tumultus; Nescio quod dogma eligam, quod præferam: singuli dicunt: Ego verum dico; cui credam, nescio; quũ ego scripturarum sim ignarus, Et illi utrinq; idem prætexunt.*

1. Cor. 11. 19.

cant. 1. 7.

Homil. 33. in Acta in Morali.

Comitata est hæc quidem sors omnem Ecclesiæ
1. Johan. 2. v. 18. ætatem, sed quam *novissimo hoc tempore*, uti solent plæriq; affectus senio esse molestiores, imprimis torquet, ut quando scissæ sunt Christianorum partes, quando alius quidem Papæ Romani, alius Papæ Constantinopolitani, alius Lutheri, Calvini se dicit esse alius, propemodum vix constet, quis Christi sit, cujus tamen esse volunt singuli. Atq; ut suas quisq; partes sectetur studiosiùs, easq; nemini non suscipiendas persuadeat; Zelo omnes anteeunt, qui Romano Papæ fidem suam addixerunt, incredibili vehementiâ hoc pertendentes: Non esse vel umbram spei de æterna salute cuiquam reliquam, nisi se & obedientiæ, & fidei Romani Pontificis subjecerit. *Hanc esse summam rei Christianæ*, præfatur *Bellarminus*, de primatu sui Pontificis disputaturus. *Quando enim de hoc quæritur, id quæri*, ait: *debeatne Ecclesia diutiûs consistere, an dissolvi?* Quæ certè ne dissolvatur, id se quisq; Christianorum maximopere anniti profitetur, adeoq; alterutros vehementer falli oportet; si hi quidem Ecclesiam dissolvi credant, extra primatum Romani Papæ, illi aliter sentiant, nec opus quidem judicent, in constituendâ Ecclesiæ summâ, Romani Papæ primatum plus attendere, quam Eugubini, aut Mantuani Episcopi. Unde non potest non difficilima oriri quæstio, utri tandem parti, futurus Christi & hæres, & discipulus, se debeat adjungere?

Ut ut alii hos dubitationum meandros ad regiam, erroris viam nesciam redigere conati sint, Nobis inprimis accommodatissima illa regula videtur, quam idem Chrysostomus sic vacillanti pediti adhibendam censuit, *scripturas nempe sanctas*. *Siquidem enim dicere-*

diceremus, nos rationibus credere, meritò, inquit, *turbaretur* hospes, *sed cùm scripturas accipimus, & illæ simplices sunt ac veræ, facile illi fuerit judicare: Si quis illis consentit, Christianum esse, si quis contra illas pugnat, procul esse ab hoc canone.* Si quis autem instaret; *nos enarrando scripturas mentem illarum pro nobis trahere, nec se, nondum discipulum factum, posse esse Doctorem, aut verum sensum scire,* eum interrogari jubet S. Episcopus: *Nunquid mentem habeat, nunquid judicium; an verò hic cavillus ei sit? Quo judicio velit linquere suos & ad nos accedere? Utrùq; non temerè id facturum. Quomodo igitur si vestem empturus sit, quanquam rei textoriæ non sit peritus; quomodo, si quidpiam aliud empturus, etsi bonitatem rei non omninò perspectam habeat, de ea tamen curiosè inquirit, nec venditori se excusat;* Nescio emere, illudis mihi, *&c. Sed hæc omnia facit, ut discat; ita si nondum informatus hoc se cavillo excuset; Non posse se ad nos accedere, quia pugnemus invicem, ipse autem ignoret verum à falso discernere,* hunc hominem ita convincendum B. pater censet: *adhibeat id judicium, quo antiquum dogma refutandũ duxit, & poterit etiam hùc veniens, quodnam utile sit, probare. Faciat ea quæ recta sunt, tunc omninò Deum se ei revelaturum. Non enim est,* inquit, *possibile, quòd is qui absq; acceptione personarum audit, non persuadeatur. Nam sicut si regula esset, secundum quam omnes dirigi oportebat, non multo opus est pratextu, sed malè metientes facilè deprehenderemus, ita & nunc. Quomodo igitur non vident? Multa facit imaginatio humanæq; causæ. &c.*

Hujus veritatis argumentum, DEO bene juvante, in Papistis capiemus, admotâ scripturarum regulâ id

ostensuri: *Non esse necessarium ad salutem aternam, ut se Christianus Romano Episcopo sive obedientiâ seu fide conjungat*, Et quia hoc λίαν μέγα αἴτημα multis quæstionum lobis involvitur, id primùm expediemus: *Non esse necessarium jure divino, ut se Christianq quicunq; obedientiâ, seu conjunctione externâ Romano Episcopo addicat.*

I. Termini Questionis.

Papatus Romanus quot modis accipiatur?

I. *Papatus Romanus* significat vel constitutionem & *administrationem regni Papistici*, quatenus Spirituale est, quomodo dicitur imperium Turcicum, vel regimen Hispanicum, pro modo administrandi imperium Turcicum, & formâ regiminis in Hispania; vel significat *religionem papisticam*, specificè sic dictam, quatenus â Catholica religione in sanciendis capitibus fidei diversum sentit, cujus diversitatis, cùm præcipuus articulus sit, quòd Romanum Papam seu Episcopum, infallibilem veritatis præconem & omnium Christianorum Dominum ac patrem asserit, opinio hæc papismus; Urbes, provinciæ & homines hanc opinionem profitentes complexè papatus dicti sunt.

papatus Romanus & Ecclesia Romana nõ sunt idem.

II. Nolumus igitur Romanum papatum hîc synonymicè intelligi, ac si idem sit, quod Romana Ecclesia; in quantum enim Ecclesia Dei est, cætus ille, Episcopo Romano fide & obedientiâ communicans, vinculo fidei & charitatis perpetuò illi adhærent fideles per totum orbem, adeoq; & nostræ Ecclesiæ, quas Evangelicas vocant, neq; unquam ab eo sejunctæ fuerunt, ut conjunctionem cum eodem suadere vel disuadere necessum sit; In quantum verò ea dogmata, quæ Romanus Episcopus à reliquis Christianis, & Catholica Christi Ecclesia, seorsim docet & propugnat, pro fidei articulis habet, unâ docet & propugnat, non est Ecclesia. Ex solis quippe divinis oraculis tanquam fidei partibus materiálibus, Ecclesia constituitur; supponimus autem hîc, omne id, quod nomine divini oraculi venit, contineri in sacris scripturis, propriè sic dictis.

III.

III. Ideoq; hîc in quæſtione non eſt conjunctio cum Eccleſiâ Romanâ, quâ Eccleſia eſt; ſed conjunctio cum Eccleſiâ Romanâ, quatenus Epiſcopo ſuo, ut univerſali Chriſtianorum omniũ paſtori & Domino paret, & ejus dogmata pro fidei ſalvificæ articulis habet, docet, propugnat, & Chriſtianos omnes idem facere ac ſentire adigit, controvertitur ac diſſuadetur.

IV. *Conjunctio* hîc intelligitur gemina, una *interna* ſeu fidei, habitæ ſingulis illis articulis, quos Romanus Papatus ſeorſim à Catholicâ Chriſti Eccleſiâ credit & profitetur, cui connectitur unio ſpei & charitatis *Eph. 4. 4. 15. 16.* altera *externa*, eaq́; ſeu *profeſſionis* de articulis papatum conſtituentibus, ſive *obedientiæ* habitæ Romano pontifici in rebus morum. Neutra Chriſtianis omnibus, vel in ſpecie Evangelicis Germaniæ Eccleſiis præſtitu neceſſaria eſt. *Conjunctio cum Romano papatu quotuplex?*

V. Exhibetur autem utraq́; obedientia, ſeu exhibenda Romano Epiſcopo poſtulatur, *triplici reſpectu*, uno, uti Rom. Pontifex in rebus fidei Doctor, in rebus morum Caput *Oecumenicum* dicitur, cui de jure divino omnes Chriſtiani, ratione Spiritualis filiationis & dependentiæ ſubſint, quacunq; orbis orâ degant, Alter reſpectus ſtrictior eſt, & concernit Chriſtianos Occidentis, qui non ſolùm communi illo reſpectu, quia Chriſtiani ſunt, ſed quia ſub *patriarchatu Romano*, ratione diœceſeos continentur, Romano Epiſcopo ut Occidentali patriarchæ ſubeſſe dicuntur, quomodo Conſtantinopolitano patriarchæ Epiſcopatus omnes Græci ſubſunt, & Alexãdrino olim plæriq; Orientis Epiſcopi parebant, Ægyptus, Libya, Pentapolis &c: Neutro horum reſpectuum neceſſum eſſe dicimus, ut Chriſtiani Occidentis, & in ſpecie Germanicæ Eccleſiæ, quas ob Evangelii profeſſionem, R. P. excommunicavit, ei ſubſint. Tertius reſpectus *Eccleſiam Romanam particularem* attingit, cujus papa Epiſcopus loci eſt, & quæ adeò triplici titulo ei ſubeſſe cogitur, quo reſpectu Germanicas Eccleſias non teneri, palàm eſt. *Quot modis fiat?*

VI. *Neceſſitatem* intelligimus primô *intrinſecam*, quam aliàs definitionis vocant, quæ reſultat ex natura Chriſtianæ fidei, ac ſi ejus proprium ſit, dependere à Romano pontifice, ut viſibili Eccleſiæ *Neceſſitas cõjunctionis quotuplex? Interna.*

Ecclesiæ Capite, adeò ut Christiana fides esse desinat, vel esse non possit, nisi influentiam ab illo capite recipiat. Talem necessitatem negamus subesse illi conjunctioni; sive intelligatur necessitas pertinens *ad esse fidei* seu absoluta, sine qua salus æterna impetrari nequeat; Sive necessitas *ad bene esse fidei*, seu comparata; ac si *fidem Christianam*, vel quatenus παχυλῶς talis dicitur, vel quatenus salvifica est, magis perficiat vel etiam conservet, conjunctio cum Romano Papatu, quam dissensio ab eodem.

Externa.

VII. *Secundò extrinsecam*, qualis inesse poterat huic conjunctioni, *vel ex lege divina*: Si nempe mandatum aliquod DEI exstaret, jubens, ut omnis anima unius Episcopi, & quidem Romani Episcopi, jurisdictioni, & dogmatis singularibus pareat. *Vel ex lege humanâ*, eaq; seu *Ecclesiasticâ*, si vel Ecclesia Catholica Christianos omnes, vel particularis Ecclesia suos filios jussisset, in fide & moribus sequi unum Romanum Pontificem; *Seu politicâ*, si nempe Magistratus sanxisset, non quidem credere aut profiteri religionem papisticam, quod non potest, sed solùm, pro ratione & tempore civilis subjectionis, eam colere, aut venerari; vel deniq; *ex pacto* si fortè stipulati essent omnes Christiani, & sigillatim Ecclesiæ Evangelicæ Subjectionem in fide & moribus Romano papatui, quâ talis est; vel postremò ex *utilitate hujus conjunctionis*, ad *fidem* Christianam, vel etiam *Rempublicam* conservandam, aut ulterius propagandam. Species has necessitatis omnes ab istiusmodi conjunctione abesse affirmamus.

II. Senten-

II.

Sententia partium.

I. Catholicæ & Evangelicæ Ecclesiæ sententia, explicatione terminorum maximam partem proposita est, nempe:

- *Non esse necessarium conjungi Romano pontifici*
  - *neq; ad fidei aut Reip. Christianæ.*
    - *essentiam*
    - *majorem perfectionem.*
    - *majorem utilitatem.*
      - *propagationis*
      - *conservationis*
  - *neq; ex mandato.*
    - *divino*
    - *humano*
      - *Ecclesiastico*
      - *politico*
    - *pacto aut conventione*

Christianis omnibus in genere sine
- *externè inobedientia & moribus ut* — *Capiti Oecumenico*
- *internè in fide & religione ut* — *Doctori Oecumenico.*

Christianis Occidentis in Specie sive
- *Externè in obedientia & moribus ut* — *Capiti Diœcesano.*
- *internè in fide & religione ut* — *Doctori Diœcesano.*

II. *Papistarum opinio* huic è diametro opposita est, *primò quoad necessitatem internam*, seu requisitam ad essentiam Catholicæ fidei, in communione externa seu obedientiâ Romano papæ, ut Oecumenico Episcopo præstandâ. (1.) Catech Rom. *in exposit, sympoly art. 9. q. 1. De eo* (Rom. pontifice) *fuit illa omnium patrum ratio & sententia consentiens, hoc visibile caput ad unitatem Ecclesiæ constituendam & conservandam necessarium fuisse.* (2.) jus Can. *7. q. 11. c. scire debes,*

Papistarum opinio de necessitate conjunctionis externæ.
1. *Catechesis Romanæ.*
2. *Juris canonis.*

debes, Episcopum in Ecclesia esse, & Ecclesiam in Episcopo, & si quis cum Episcopo non sit, in Ecclesia non esse, & frustra sibi blandiri eos, qui pacem cum Sacerdotibus DEI non habentes obrepunt, & latentes apud quosdam communicare se credunt, quando Ecclesia, quæ Catholica una est, scissa non sit neq; divisa. Verba hæc Cypriani sunt *lib. 4. Epist. 9.* quæ quãvis nec de œcumenici, nec de qualiscunq; Episcopi desertione loquantur, adducuntur tamen à Compilatore ad probandam externam dependentiam omnium fidelium à Rom. pontif. nec non à *Bellarm.* pro Ecclesiâ repræsentativâ in Episcopo, *l. 2. de Concil. c. 2. col. 55. D.* & in terminis, pro communione externâ omnium fidelium cum Romano Episcopo, *l. 3. de Ecclesia milit. c. 5. col. 114. D.* idem intendunt c. *Denique* d. l c. *Omnes* & seqq. *Dist. 22.* c. *solicitæ*, ad imperat. Constant. *de Majorit.* & c. *Aliorum. 9. q. 3.* Et disertè, nescio, an impudenter magis, *Bonif. VIII. c. Unam sanctam. Extravag. comm. de Majorit. & obed: Subesse Romano pontifici omnem humanam creaturam, declaramus, dicimus, definimus & pronunciamus, omninò esse de necessitate salutis*, quod rati habet ac propugnat (3.) *Bellarm. l. 3. de Laicis c. 19. col. 549.* adversus Cassandrum disputans: *Etiamsi protestantes in omnibus fidei articulis cum Rom. Pontifice convenirent, non tamen esse veræ Ecclesiæ mẽbra, cùm nolint subesse & obedire Romano Pontifici*; Alibi hoc fundamentum jacit; *Neq;* (1.) *eundem DEUM & Patrem, qui convocavit Ecclesiam, nec* (2.) *eandem promissionem gratiæ, nec* (3.) *eadem media ad vitam æternam obtinendam, idem verbum, eadem Sacramenta, eandem fidem, neq;* (4.) *eundem Spiritum S. omnes regentem, facere Ecclesiam unam propriè*, Sed 1. *per subjectionem sub Uno Capite interno*, quod vocat Christum & *ejus vicarium*, & hoc caput opponit *capiti Ecclesiæ externo*, & ab Ecclesia separato, quod vocat *Spiritum S.* 2. per connexionem membrorum inter se, & *præcipuè* cum capite, Ecclesiam *propriè unam esse, unum corpus, unum populum, unam societatem* &c. Quâ assertione destruit ea, quæ circa definitionem Ecclesiæ generatim dixerat, quando veram Ecclesiæ definitionem tribus partibus constare dicebat: 1. *Professione veræ fidei*, 2. *Communione sacramentorum*, 3. *Subjectione ad legitimum pastorem Romanum Pontificem*, nisi fortè ea impropriè Ecclesiam constituere dicantur, quæ de formali definitione Ecclesiæ sunt, Aut *Ecclesia & una Ecclesia*, Ens & unum separari ab inviem possint.

3. Bellarmini. *l. 3. de Eccl. milit. c. 5. col. 115. C. D.*

1 2

Ibid. c. 2. col. 108. D.

Secundò

Papistarum opinio de necessitate conjūctionis internæ.

Bellarmini.

col. 115. D.

col. 116. B, C.

juxta eundē l. 1. de grat. & l. arb. c. 13. col. 510. Becani opinio

Manual. l. 1. c. 5. n. 127.

Secundò quoad necessitatem internam seu requisitā ad essentiā Catholicæ fidei, *in Communione internâ*, seu fidei cū Rom. Pontif. ut Doctore Oecumenico. Quando enim *Bellarmino* ad necessitatē sui Papæ in Ecclesia evehendam, usq; impudentiæ prolabitur, ut unionem cum Christi Vicario *proprie Ecclesiam Unam facere* dicat, includit illi Unioni cum visibili capite Ecclesiæ, utramq́; unionis speciem, & *internam & externam*, ideoq; quando Christum, tanquam caput internum Ecclesiæ, Spiritui sancto, ut capiti Externo, & ab Ecclesia separato contradistinxerat, Christo papam continuò succenturiat, eumq; tanquam caput internum, unà Spiritui Sancto contradistinguit col. 115. D. allegatis de utroq; & Christo, & Papa Apostoli verbis: Eph. 1. 22. *Ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam.* & col. sequenti, B. *Respondeo*, inquit, *neminem posse, etiamsi velit, subesse Christo & communicare cum Ecclesia cœlesti, qui non subest pontifici & non communicat cum Ecclesia militante, Christus enim ait: qui vos audit, me audit Luc. 10.* Quo in locò quanquā subjungat. [*ut Christus est summum caput, quoad influxum interiorem, ipse enim influit in sua membra sensum & motum, id est, fidem & charitatem; Ita Papa in Ecclesia militante est summum caput, quoad influxum exteriorem, doctrinæ fidei & sacramentorum,*] Noluit tamen eo ipso negare, Papam etiam esse caput internum Ecclesiæ, & proprium omnium fidelium, ut intrinsecam quoq; influentiam â Papa recipiant, & conjunctione internâ fidei ei connectantur, vocat enim *externam influentiam*, ab efficiente, exterius actionem applicante, *non ab omni modo influentiæ*, quòd is externus solùm sit, *nec à subjecto interius* recipiente; *internam autem influentiam* vocat â causâ motrice internâ, incordibus fidelium, quæ est Papistis, *infusa Christi gratia, non verbi efficatia.* Adeoq; non omnis, sed *certa saltem species internæ influentiæ*, Christo capiti, privilegii loco relinquitur, quod 2. ex his simul Becani verbis manifestum fit, quando de controversiarum judice, & assistentiâ Spiritûs sancti, singulis fidelibus ad veritatem cognoscendam promissâ quærit, per quod principium proximum hæc veri sensûs influentia in fideles derivetur? *Facilis est responsio*, inquit: *Singuli quidem habent*

(assistentiam & directionem Spiritûs S.) *sed dependenter ab ipsa Ecclesiâ (Papa) Quamdiu ergò manent conjuncti cum Ecclesiâ, errare non possunt, si dissentiunt ab Ecclesiâ, errant. Quod,* (quomodo fiat) *duplici similitudine declarari potest: una sumitur ex proportione humani corporis. Nam si quæras, an singula membra, quæ sunt in humano corpore, habeant in se Spiritus vitales & sensitivos, quibus vita conservatur, respondendum est, singula quidem habere, sed dependenter â capite & corde, nam â capite & corde, tanquam â duplici principio, derivantur hujusmodi Spiritus in reliqua membra, unde si intercipiantur, aut occludantur illi meatus seu canales, per quos fit illa Spirituum derivatio, necesse est reliqua membra destitui spiritibus, & officium suum exercere non posse; sin pateant & aperti sint, res salva est; Sic etiam in Ecclesia, singuli fideles, qui sunt quasi membra Ecclesiæ, habent quidem assistentiam Spiritûs S. sed dependentem à Pontifice, qui est veluti caput Ecclesiæ, & à Conciliis, qui sunt quasi Cor Ecclesiæ, Quamdiu ergo singuli manent colligati cum doctrina Pontificis & Conciliorum, participant de assistentia & gubernatione Spiritûs S. nec in fide errare possunt, sin per discordiam & pertinaciam discedant â capite & corde, jam occludunt sibi omnes meatus, ut assistentia & directio divina ad eos derivari non possit.* &c.

Becanus, quem modũ influentiæ pontificis in fideles proponat?

3. Ubi advertendum, necessitatem illam influentiæ, non intelligi solùm à Becano eam, quæ aliàs est causarum instrumentalium in effectum, ut sensus sit, requiri Romanum pontificem, ut causam externam, ad docendos Christianos, quomodo influxus internus gratiæ, non potest fieri ordinariè sine admotâ verbi prædicatione, per quam, & ex quâ influit sensus & affectus verbi divini in corda Christianorum, quâ significatione, *omnes verbi DEI Ministri plantant vel rigant agrum Dominicum*, adeoq; ad esse agri, tanquam causæ instrumentales etiam conferunt, *1. Cor. 3. 6.* Sed intelligi præterea, aliquem necessarium affectum in cordibus Christianorum, & identitatem sensûs, qui est in Romano

1. Cor. 2. 16. Pontifice, eumq; non solùm necessarium ratione ejusdem speciei, quomodo *singuli Christiani mentem Christi tenent*, atq; hoc interno glutine copulantur; sed *ratione* etiam *subordinationis*, ita ut Rom. Pontifex sit quasi *principium motûs divini*, quod principium deinceps agat, secretâ quâdam influentiâ, in omnium Christianorum

norum corda, uti ex singularum comparationis partium accommodatione apertissimum est, quamvis alibi contradicat. *c.4. n.19. 28. 30.*

4. Eandem opinionem urgent, quicunq; *Cypriani* similia *de luce, fonte, arbore*, ceu principiis, unde radii, rivi, rami deducantur, ad Romanam Ecclesiam, seu Papatum potiùs, malitiosè torquent, ut conficiant; Romanum pontificem *non solùm ratione exemplii Unitatis Ecclesiasticæ, ordinis, aut præordinationis*, sese ut lucē, fontem, arborem, ad fideles habere; Sed etiam *ratione principij activi*, quod lumen & succum fidei reliquis membris communicet, sine quâ communione, lumen fidei in omnibus fidelibus extinguatur, rivi exsiccentur, & rami exarescant. *Bellarm. l. 2. de Rom. Pontif. c. 16. col. 651. 652. Sanderus de visibili Monarch. l. 7. n. 45. Hardingus contra Juellum art. 4. Sect. 2. & 4. Suarez defens. fidei Cathol. l. 3. cap. 13. n. 2. 5. c. 12. n. 6. Jodocus Coccius Tom. 1. Thesauri Cathol. toto l. VII.* qui est de Hierarchia Ecclesiæ, *ex sacris literis, Patribus Græcis & Latinis, nec non recentioribus scriptoribus hoc probare intendit*: Et necessarium & utile esse, ut omnes Christiani, unione tâm internâ, quàm externâ, Romano Episcopo connectantur, inprimis art. 7.

Papistarum opinio de Romani pp. influentiâ in Christianos.

Coccij

Sanderus octo de *visibili Monarchiâ Ecclesiæ*, & sex libris *de clave David*, id unicè enititur: Non posse esse fideles qui non antè, & magis sint subditi Romano pontifici: *Tàm* inquit, *Episcopi omnes, quàm cæteri fideles, per unam Apostolicam & principalem Romani Pontificis cathedram, eo visibili modo inter se connectuntur & copulantur, ut qui extra unitatem Romani pontificis degat, membrum Ecclesiæ Christi, aut communionis sanctorum particeps fieri nullo modo possit*, l. 3. de clave David cap. 5. pag. 63. Ibid. pag. 71. *Nihil aliud est unitatem Ecclesiæ servare, quàm cum Ecclesiâ Romanâ communicare, nihilq; aliud, unitatem in hoc quidem mundo violare, quàm extra Ecclesiam Romanam colligere, hoc est, docere, baptisare, aut offerre.* Idem pag 69 & passim. *Antichristi est, qui non communicat cum Papa* lib. 8. Monarch. c. 11. fol. 733. Idem cap. 10 fol. 732. cap. 65. fol. 808 lib. 5. cap. ult. & lib. 7. per tot. ex scriptoribus papisticis ætatum omnium, conjuctnionis hujus extremam necessitatem probandam suscipit.

Sanderi.

Ordo Probandi.

Classes argumentorum, quibus utrinq; thema probabile fit, in universum non possunt esse, præterquam *Tres*.

1. Desumitur *à necessitate, utriusq; conjunctionis, externâ*, seu præcepti, quo Christiani omnes compelluntur subesse Romano Episcopo, fide & obedientiâ.

2. *Altera* desumitur â *necessitate internâ*, quâ requiritur sive ad essentiam, sive integritatem Christianæ fidei in universum, & salvificæ in specie, subjectio ad Romanum Pontificem, in fide & moribus, Neq; enim omnia, quæ proponuntur in sacris credenda, ita sunt creditu necessaria, ut sine fide iis adhibitâ, vel Christiana, vel salvifica fides esse aut dici nequeat. Igitur præter necessitatem externam, seu mandati, alia ratio est, ob quam necessum esse poterat, ut Christiani omnes Romano Episcopo subsint.

3. Desumitur ab *evidenti utilitate*, tùm ad fidem tùm ad Rempublicam Christianam, sive conservandam seu propagandam, si omnes Christiani Romano Pontifici subsint, quæ utilitas tanta est, ut scienter â quoquam negligi, bonâ conscientiâ non possit.

Ordo disputationis.

4. Ordinis caussâ, primùm disputabimus *de conjunctione externâ Ecclesiarum Germanicarum cum Romano Episcopo*, eamq; DEO juvante, per singulas argumentorum classes non necessariam esse, demonstrabimus, sive intelligatur conjunctio cum Romano Episcopo, *ut Oecumenico*, sive *ut Patriarcha Diœcesano*.

Ratio ordinis.

5. *Ratio ordinis est*, quòd 1. is, qui unitur cum Romano Episcopo Unione internâ, seu fidei, ex doctrinâ Romanensium, necesse habet, ut *ordine naturæ prius Eidem uniatur, unione externâ*, seu obedientiæ aut professionis, Hæc est Sanderi assertio l. 3. de clave David cap. 8. ab initio: *Unionem externam cum Ecclesiâ consistere in suptione baptismi; Antequã quis baptizatꝰ sit, nõ uniri Ecclesiæ ullo modo, sed esse ex iis, de quibus extet Joh. 2. 24. quòd Jesus sese non crediderit iis hominibus, Baptismũ autem omniũ, qui ratus sit, citra externã necessitatẽ, admi-*

administrari oportere à sacerdote, qui pendeat ab unitate Rom. Pontificis; Non enim omnem baptisatum, sed in Christo, id est, in corpore Christi, quod est Ecclesia (Romana) *baptisatum, Christum induisse*; Unde concludit: *neminem Christum posse induere, nisi qui ordine priùs baptismum, vel confirmationem etiam à sacerdote Romano catholico acceperit, atq; ita externo priùs glutine, per sacerdotem Ecclesiæ uniatur, quam interno uniri possit.*

2. Quòd unio interna dependet, juxta papistarum doctrinam, ab unione externâ, ita enim supra Bellarm. *Neminem posse, etiamsi velit, subesse Christo, qui non subsit Pontifici.* Et Sanderus de clave David. l. d. pag. 63. *Non solùm igitur in Petro* (Romano Episcopo) *vera est Ecclesia, sed etiam extra eum nulla est; In Petro tota sacerdotij potestas, totumq; Ecclesiasticum ministerium comprehenditur. Extra unitatem Petri, nec baptisare, nec Evangelizare, nec manus imponere quisquam legitimè potest.*

Adversus externam hanc conjunctionem, erit propositio nostra prima;

Præceptum non est jure divino, ut omnes Christiani Romano Episcopo, ut Oecumenico, conjunctione externâ, id est, professione & moribus uniantur. — *Prima propositio.*

Supponimus hîc 1. *jus divinum* non intelligi à nobis aliud, quàm quod in terminis, ut loquuntur, vel per evidentem consequentiam ex scripturis Canonicis, quas utrinq; pro talibus agnoscimus, deducitur, didicimus enim ex Apostolo, *non sapere* in divinis *ultra quod scriptum est. 1. Cor. 4. 6.* neq; disputamus nunc, an id *jus divinum dici debeat, quod Romana Ecclesia sanxit*, uti Bellarminus vult *l. 4. de Rom. Pont. cap. 4. col. 814.* vel Pontificum decreta nomine sacræ scripturæ appellari, ut fit §. *fin. c. cum Marthæ de celebrat. Missarum & c. in scripturis Dist. 96.* Hac enim viâ, disputatio procederet in infinitum. — *præsupposita:*

2. *Christianos dici* quicunq; in nomine Patris, Filii & Spiritûs sancti baptisati sunt juxta Hieron in epitaphio Nepotiani: *Ab eo tempore* — *Christiani qui?*

Christiani qui ?

tempore censemur Christiani, ex quo in Christo renascimur, & Augustinum lib. 1. contra Epist. parmen. c. 7. &c. adeoq; Catholicos simul & papistas hoc nomine comprehendi, tametsi sint inter papistas, qui hoc nomen nobis catholicis invideant, quod tamen declaratis ab Ecclesia hæreticis Epiphanius tribuit, *hæresi 80. fol. 514. & concilium Tridentinum* nuper nobis indulsit, sess, 15. apud Binium fol. 308.

5

ARGUMENTUM PRIMUM SUMITUR â DEFECTU OECUMENICI.

Major. *Qui jure divino Christianis præfectus non est, ut Oecumenicus Episcopus, ei tanquam jure divino præfecto Oecumenico Episcopo, nemo Christianorum tenetur de jure divino obedire.*

Minor. *Romanus Episcopus jure divino Christianis præfectus non est, ut Oecumenicus Episcopus;*

Conclusio. *Igitur nemo Christianus Romano Episcopo, tanquam jure divino præfecto Oecumenico, de jure divino obedire tenetur.*

Dico *ut Oecumenico*, nam in Italia & Romana Ecclesia particulari, potest subesse alia ratio, cur oporteat Christianos ejus loci obedire Romano Episcopo, non ut Oecumenico, sed ut loci Episcopo, de qua paritionis æquitate hîc non disputamus, quanquam non dubitemus, etiamsi in diœcesi Romanâ, aliquis velit Romano, ut loci Episcopo obedire, & non ut Oecumenico, fore pro hæretico declarandum.

II.. *Ratio* autem *majoris* propositionis manifesta est, quia quem respectum Romanus Episcopus jure divino non habet, eum vi divini juris deferre ei nemo potest aut debet, quod dupliciter potest intelligi, 1. quod nemo teneatur jure divino respectũ Oecumenici, tanquam jure divino habitum, Romano Episcopo deferre. 2. quod nemo teneatur jure divino, Oecumenici respectum, quoquo modo habitum, Romano Episcopo deferre, saltem ideò, quia de jure divino Oecumenicus non est. Priori modo liquidum est, quod nemo possit, multò minûs debeat, quidpiam tanquam jure divino Pontifici collatum, ei tribuere, si jure

Aliud est, esse jure divino Oecumenicum, aliud, habẽdũ esse jure divino pro Oecumenico, quacunq; ratione aliâ facto?

si jure divino collatum non sit; Alteri modo aliquid difficultatis inest, videtur enim aliquis respectus cuipiam deferri posse, & aliquando deberi, vi juris divini, quem respectum tamen is, cui ab hominibus defertur, jure divino non possidet, sed vel jure naturæ, vel Ecclesiastico, seu humano etiam, aut quacunq; aliâ ratione acquisivit. Sic jure divino necessum erat, respectum superioritatis Regi Assyriorum deferri à Judæis, & tributa ei solvi, quem respectum Rex de jure divino non habebat. *Deut. 15. 6.* Sed ex humano pacto *2. Reg. 24. 1. & 20. Jerem. 38. 17. 20. c. 40. 9. Jerem. 29. 7. &c.* Atq; eodem modo videtur jure divino necessaria esse posse obedientia, Romano pontifici ut Oecumenico, præstanda, tametsi jure divino Oecumenicus constitutus non esset.

Romanus Episcopus non factus est Oecumenicus jure divino, per antecedens pactum.

1.

III. Sed duplex Romanum Episcopum & Regem Assyriorum in hoc puncto intercedit ratio, nam 1. DEUS non simpliciter jusserat, ut Israëlitæ obedirent Regi Assyriorum, cui ille respectus jure divino ante non collatus erat; sed supposito pacto judæorum, se velle obedire, juris divini fiebat, ut pactum illud servaretur, ideoq; Prophetæ hoc, tanquam in jus divinum commissum, increpabant, quòd Reges Judæ fœdus cum Assyrio violâssent, *Ezech. 16. 59. c. 17. 16.* quale pactum Christianorum cum Romano Episcopo, quòd huic velint ut Oecumenico obedire, nusquam exstat. 2. Quamvis jussu divino Rex Assyriorum pro superiore agnosceretur, non agnoscebatur tamen pro tali, qui citra interveniens pactum, respectum illum peculiari quodam divino jure habuerit, quomodo Romanus Episcopus, *non solùm jure divino obedientiam sibi deberi contendit, sed deberi ut Oecumenico Episcopo, voce divinâ, eâq; immediatâ, instituto*, conclusionem enim *de fide* asserunt papistæ; ut omnes Christiani Romano Episcopo, non solùm ut Oecumenico, *sed ut immediatè à DEO constituto Oecumenico* jure divino obsequantur; *Bellarm. l 2. de Rom. Pont. c. 12. col. 636. B. Suarez Defens. fidei Catholicæ, l. 3. c. 13. num. 5. & 6. Quamvis enim & Potestatibus secularibus obsequantur, de jure divino, non obsequi tamen ut potestatibus, immediatè à DEO institutis, qualis Oecumenicus ille sit, sed ut potestatibus, mediante hominum voluntate constitutis, quibꝰ quando constitutæ sint, tunc demùm jure divino obsequi oporteat*

2

Sanderus de clave David l. 5. c. 1. Bellarm. l. 1. de R. P. Cap. 7. col. 524. & prolixè Suarez lib. 3 Defensionis fidei Cath. cap. 2. 3. seqq. Adeoq; non sufficit, ex Pontificiorum sententiâ, obedire etiam de jure divino Romano Pontifici, ut Oecumenico, nisi simul obediat quis hoc respectu; *quòd immediatâ DEI voluntate Romanus Episcopus totius Christiani orbis Episcopus constitutus sit*, quæ clausula in argumento addita est.

Si Romanus Episcopus jure divino Oecumenicꝙ non est, nullo jure pro Oecumenico haberi contendit.

IV. Quocunq; tamen respectu Rom. Pontifex consideretur; si ex jure divino probari non potest, Romanum Episcopum Christianis præpositũ esse, ut Oecumenicum Pontificem, sequitur utiq;: Neminem quoq; Christianorum jure divino teneri, ut Romano Episcopo, tanquam Oecumenico obediat, sive obediat ut Oecumenico voce divinâ constituto, sivè ut Oecumenico quacunq; aliâ ratione facto; Hoc enim perinde est, quoad debitum Christianorum, ad quod jure divino obligantur. Nec enim DEUS quempiam pro capite Ecclesiæ habendum jubet, nisi quem ipse ante talem instituerit, nec præsupponi potest, quempiam aliunde titulum Oecumenici acquirere posse, & deinceps obtinere, ut decreto divino titulus ille demùm rati habeatur, & Christianis honorandus præcipiatur. *Tanti enim interest Ecclesiæ, caput Oecumenicum, ut ab alio, nisi à DEO ipso non contingat illud constitui.* Majoris itaq; connexio utroq; modo firma est.

Bellarm. Epistol. ad Archipresb. Angliæ.

Romanus Episc. non est jure divino Oecumenicꝙ.

V. *Minor*: Quòd Romanus Episcopus jure divino Christianis præfectus non sit, ut Oecumenicus Episcopus, constat ex defectu omnium testimoniorum sacræ scripturæ, quibus debebat, vel poterat Oecumenicus Episcopatus Romani Pontificis astrui.

Neq; manifesto, quod defectus omnis testimonij divini indicat.

Vel enim, *Oecumenicum Episcopatum Romani Episcopi à DEO institutum esse*, expressè continebitur in scripturâ, seu jure divino, vel virtualiter, *Quod non expressè*; patet 1. ex deficientiâ testimoniorum scripturæ, apud omnes scriptores Pontificios, quicunq; pro Oecumenicâ Romani Episcopi jurisdictione, tanquam jure divino institutâ, scripserunt, quos non videre est niti aliquo scripturæ dicto, quo probent: Romanos Episcopos jure divino esse institutos universales Ecclesiæ pastores, etsi probare contendant, unum aliquem, *Petrum*, qui fuisse dicitur Romanus Episcopus, unâ

unà fuisse Oecumenicum Episcopum; *Quòd autem successores Petri in Oecumenico Episcopatu, sint soli Romani Episcopi, id non ex jure divino, sed ex Petri facto ortum duxisse, concedit Bellarm. l. 2. de Rom Pont. c. 12. col. 635. §. At vero.*

2. Ex concessione Suarezii l. 3. Defens. c. 13. § 5 *Solum Romanum Episcopum esse verum successorem Petri, & potestatem Petro datam ad oves Christi pascendas in illo perseverare, assertio certa & Catholica fide tenenda est. Nam licet expressè, & in propriis terminis in sacrâ scripturâ non legatur, in principiis in illa revelatis virtute continetur, quod per Ecclesiam sufficienter declaratum est* &c. Et paulò post: *in qua sede, vel Episcopatu relicta fuerit hæc successio, & personarum series in hac dignitate succedentium, scriptura non retulit.* *Suarez concedit.*

VI. *Quod virtualiter non contineatur*, sic probo: Quod virtualiter in scriptura continetur, potest per legitimam interpretationem, sine additione alterius principii probandi, ex scripturâ deduci. Hæc enim natura demonstrationis est, ut si conclusio v. g. juris divini sit, principia proxima, quibus conclusio potestate inest, ejusdem juris sint, secus ex historicis, aut aliis non divini juris principiis, non magis conficietur conclusio, quæ divini juris dici possit, quam ex Geometricis principiis, quæ metaphysica dici debeat.

Quòd omnis & solus Romanus Episcopus, Christianis omnibus, tanquam pastor Oecumenicus à Christo præfectus sit, non potest per legitimam interpretationem, sine additione alterius principii probandi, ex scripturâ deduci.

Igitur, Quòd omnis & solus Romanus Episcopus Christianis omnibus tanquam pastor Oecumenicus à Christo præfectus sit, non continetur in scripturâ virtualiter, ac proinde opposita conclusio nullo modo est juris divini, neq; de fide est. *Nec Virtualiter.* *Quod probatur 1. Ex Remotione hypothesconpapisticarū.*

VII. Propositio minor, quæ ζητούμενον continet, triplici ratione potest probari 1. per remotionem hypothesεon, quas papistæ pro deducendâ ex scripturis hac conclusione propugnant. 2. per inductionem omnium dictorum S. scripturæ, quibus conclusio hæc potestate ineſſe debebat, eorumq; solutionem. 3. per Concessionem ipsorum Pontificiorum, quòd nempe dicta Conclusio non sit juris divini, de quo nunc disputamus. 1. 2. 3.

hypotheſes quæ?

VIII. Franciſcus Suarez, qui lib. 3. defenſ. cap. 10. n. 2 poſt omnes, quotquot hoc argumentum perſecuti ſunt, *argumenta ſuo judicio ſelectiora & efficaciora adverſus Regem Angliæ ſe producturum recipit*, has ſtatuit ordine hypotheſes 1. *Chriſtum Dominum inſtituendo Eccleſiam ſuam militantem, priusquam quoad viſibilem præſentiam corporalem, eam relinqueret, illam Petro tanquam vicario ſuo ac ſupremo paſtori commendâſſe, ac ſubinde ſupremam ſpiritualem poteſtatem ad gubernandam illam Ei contuliſſe; Concluſio eſt certa de fide &c.* ibid. §. 3. 2. *Hunc primatum non ſoli Petro pro ſuâ perſonâ fuiſſe collatum, ſed ut perpetuò in Eccleſiâ duraret, in eo fuiſſe inſtitutum* c. 12. §. 2. *Eſt concluſio de fide.* 3. *Hæc autem duratio, cùm non eſſet futura in unâ & eadem perſona, neceſſariò futura erat, per plurium perſonarum in eadem dignitate ſucceſſionem, hoc etiam ſufficienter in ſcripturâ continetur, non per additionem aliquam, ſed per legitimam ejusdem ſcripturæ interpretationem* c. 13. n. 5. 4. *In qua autem ſede vel Epiſcopatu relicta fuerit hæc ſucceſſio, & perſonarum ſeries in hac dignitate ſuccedentium, ſcriptura non retulit, quia hiſtoria Canonica Novi teſtamenti usq; ad mortem Petri non pervenit.* ibidem. Nihilominus *aſſertio certa, & catholicâ fide tenenda eſt, ſolum Romanum Epiſcopum eſſe verum ſucceſſorem Petri & poteſtatē Petro datam, ad oves Chriſti paſcendas, in illo perſeverare.* ibid.

Vid. Marc. Anton. de Dom. l. 4. de Rep. c. 8. Tres priores hypotheſes papiſtarum nihil ad rem faciunt. Non prima.

IX. Hæ hypotheſes omnes, quanquam *manifeſtæ falſitatis, non noſtro demùm, ſed omnibus retrò ſeculis convictæ ſint*, non omnes tamen propoſitæ quæſtioni obſunt, ſed quarta ſolùm. Utpote ex qua, ceu proximo principio probandum erat; omnem & ſolum Romanum Epiſcopum eſſe de jure divino paſtorem Oecumenicum.

Quia à Petro ad Romanum Epiſcopum, quá Romanum, nulla valet conſequentia.

X. *Quod ad primum enim*, etſi vera non ſit, eſto tamen, Petrum ſupremum omnium fidelium paſtorem, in comparatione ad reliquos Apoſtolos fuiſſe, Eſto, eundem Petrum ſimul Romanæ Eccleſiæ particularis Epiſcopum fuiſſe, Hoc inſuper demonſtrandum eſt, Petrum, qui ſimul Romanus Epiſcopus erat, *quá Romanum Epiſcopum, de jure divino fuiſſe omnium fidelium paſtorem*, niſi enim hoc demonſtretur, hypotheſis iſta nihil ad rem facit: Nec enim quæritur hîc, Num aliquis Romanus Epiſcopus ſimul fuerit paſtor Oecumenicus, ſed hoc quæritur; *an de jure divino*

omnis

omnis & solus Romanus Episcopus sit pastor Oecumenicus? cui punctо non respondet, qui dicit: Aliquem Romanum Episcopum fuisse simul Oecumenicum de jure divino, Petrum videlicet: Nam ut fiat conclusio de fide, solum Romanum Episcopum esse Oecumenicum, oportet eum, qui fuit aliquando Oecumenicus, & ex cujus successione, Romanorum Episcoporum Oecumenica Episcopa demonstrari debet, fuisse quà Romanum Episcopum, unà Oecumenicum, nisi enim hoc sit, Alexandrinus, Antiochenus & alii Episcopi poterunt succedere in Oecumenico Episcopatu, & falsa fiet conclusio de fide: Solum Romanum Episcopum esse illum Oecumenicum.

Ac si valeret, juris divini non est.

Deinde *Conclusio hæc ex jure divino probanda erit*, de eo enim hîc quæritur, An jure divino solus Romanus Episcopus sit Oecumenicus, cui probandæ hoc prærequiritur, ut Petrus jure divino, quà Romanus Episcopus demonstretur fuisse Oecumenicus.

Ecclesias Germanicas nihil attinet.

Et tertiò, ut accommodatio fiat ad illas *Ecclesias Germanicas*, quæ hodie Lutheranæ vocantur, demonstrandum est; eas *Petro, ideò, quòd propter occupatam Romanam sedem, simul Oecumenicus erat, paruisse.* Quanquam enim verum esse possit, Ecclesiis Germanicis, quæ hodiè Lutheranæ vocantur, dum Petrus in vivis superesset, fuisse ab Apostolis aut eorum discipulis prædicatum, non sufficit tamen hoc, sed liquidò demonstrandum est; eas dùm Petrus viveret, etiam fuisse ad fidem conversas, neq; enim sequitur; etiamsi illis, Petro vivente, prædicatum fuerit, Petro superstite etiam conversas fuisse, cùm aliquæ gentes, præsertim, si non instanter iis prædicetur, non statim recipiant verbum DEI, ut *Act. 22. 18.* Non ovium autem, uti Christus gratiosum caput non fuit, (quousq; enim se corporis ratio extendit, eousq; nec ulterius se capitis Ecclesiæ ratio extendit, *Coloss. 1. 18. cap. 2. 19. 1. Cor. 10. 17.*) ita, Petrus non fuit pastor, & quorum pastor non fuit, in eos pascendos successori suo jurisdictionem, quam ipse non habuit, relinquere non potuit; Neq; hoc solùm, sed porrò probandum; eas Petro, ut supremo (in comparatione ad reliquos Apostolos) Ecclesiæ pastori paruisse; Non sufficit enim obedire Petro ut Episcopo, sed ut supremo supra reliquos Apostolos, & omnium

Quia incertum est an, Petro superstite, ad oves aggregatæ sint?

An Petro, ut Oecumenico parucrint?

pastori, *hoc enim dogma de fide papistarum est.* Bellarm. l. 2. de Rom. Pont. cap. 12. col. 636. C. D. Neq; hoc solùm, sed paruisse Petro ut Oecumenico pastori, *qualis sit ideò, quia Romæ Episcopus erat, sequitur enim,* inquit Bellarminus, *ut qui eligitur Romanus Episcopus, eo ipso sit Pontifex summus totius Ecclesiæ,* quare? *quia Petrus non conjunxit sibi post acceptam Ecclesiæ universæ præfecturam Episcopatum urbis Romæ, quomodo Archiepiscopus aliquis Episcopatum alium, aut Canonicatum, vel simile quid suæ dignitati adjungit, sed Romanæ urbis Episcopatum evexit ad summum orbis terræ Pontificatum.* Unde constat: quicunq; Oecumenicus est, eum quâ Romanæ urbis Episcopus est, Oecumenicum esse, ac proinde oportere, ut *respectus cognoscendi, modum essendi sequatur.* Neq; hoc solùm: Sed paruisse Petro, ut *Romano Episcopo, ac per hoc Oecumenico, de jure divino,* de quo hîc quæstio est. Hæ conditiones singulæ, tametsi veræ essent, si tamen demonstrabiles non sint, ùt maximè Petrus ab Ecclesiis Germanis habitus fuerit pro Oecumenico, nihil ad rem facit, nisi demonstretur: habitum fuisse talem hâc proximâ de causâ, quia de jure divino oportuerit Romanum Episcopum haberi pro Oecumenico. Alioquin palám est, non esse juris divini, ut soli Romano Episcopo præfectura Oecumenica deferatur à Germanicis Ecclesiis, quæ hodiè Lutheranæ vocantur, si, quâ Romanus, de jure divino Oecumenicus non est.

An ideò ut Oecumenico; quia Romanus.

Et quidem jure divino.

Non secunda hypothesis.

XI. *Quod ad secundam hypothesin,* planum est, nihil ad propositam quæstionem facere, quòd non solus Petrus pro suâ personâ primatum acceperit, sed ut perpetuò in Ecclesiâ duraret, in hac enim propositione, (præterquam quod ἀμφίμολος est, & vocibus (*non solus*) (*pro sua persona*) vis infertur, contra S. patrum intelligentiam) nullo modo, nullâ potestate continetur hæc conclusio: Solus Romanus Episcopus de jure divino ille est, qui Petro in primatu perpetuò duraturo succedit, Neq; enim sequitur: *Non sibi soli; igitur sibi, & soli Romano Episcopo primatum accepit.* Possunt enim succedere Antiochenus, Constantinopolitanus, alii, possunt succedere uno tempore plures, in quibus duret primatus? potuit pro multis tempore simul, primatum, in comparatione ad inferiores sic dictum, accipere, in quorum successoribus

Quia etsi succedi oportuerit Petro, non sequitur tamen, igitur solus Romanum qua Romanum, oportuit,

ribus duret. Atq; etiamsi sequeretur prima conclusio, non tamen hoc sequitur, igitur *de jure divino* soli Romano Episcopo primatum accepit. Nec porrò hoc, igitur in illas etiam Ecclesias, quæ tempore Petri Ecclesiæ non erant, & speciatim in eas, quæ hodiè in Germaniâ Lutheranæ dicuntur, primatum accepit, quæ singula sequi oportebat, si hypothesis hæc conclusioni, quam Suarez de fide vocat, inservire quopiam modo debeat.

XII. *Quoad tertiam, primò* turpis principii petitio committitur; Quæ enim ratio, ne dicã, quod divinũ jus suadet? ut successurus Petro, non succedat nisi in eádem dignitate; Eratne par Saulis & Samuelis dignitas, quum iste Rex huic Judici succederet? Eratne par Zorobabelis, Nehemiæ, Maccabæorum dignitas, cum Regibus, quibus hi principes succedebant? Quasi verò cum inæquali dignitate, æquale regimen, aut cum inæquali regimine salus Reip. Ecclesiasticæ non possit consistere, quæ suavia Papistarum somnia sunt.

Non Tertia hypothesis. quia 1. principium petit.

2. Plane non sequitur: *Quæ duratio propter mortalitatem Petri perfici in Petro non potuit, necessariò futura erat per plurium personarum in eâdem dignitate successionem.* Aut intelligit enim per plures personas, plures tempore simul: vel uno tempore unum, & successivè plures; *si illud*, manifestum est, non fuisse necessarium, ut plures simul succederent, potuit enim unus succedere, *si hoc*, æquè manifestum est, non fuisse necessarium, ut unus tantùm succederet, cùm primatus à pluribus in solidum teneri & continuari potuerit, qui excederent suos Coëpiscopos, quomodo Petrus dicitur excelluisse suos Coapostolos. Nunquam enim probabitur, vel per se, vel jure divino fuisse necessarium, ut quomodo unus Petrus excelluit suos Coapostolos, ita unus solùm esset uno tempore Petri successor, qui excederet suos Coëpiscopos. Ideoq; impudens est assertio; conclusionem hanc, sine additione, per legitimam scripturæ interpretationem sufficienter exinde deduci posse, quæ enim est illa scriptura, ut pati possit hanc interpretationem, (præsuppositò Petri primatu, præsuppositâ successione in hoc primatu) *uti tu unus primatum obtines in reliquos Apostolos, ita unus solùm erit successor tuus, qui primatum teneat in suos Coëpiscopos.*

Non sequitur jure divino, ut Uni Petro, unus tantùm succedat, non plures.

Omnis

Omnis legitima scripturæ interpretatio, fit per inductionem similium exemplorum, quæ eundem sensum pariant, vel per evidentem Logicam rationem; Neutro modo illa Conclusio sequitur.

3. Etiamsi sequeretur: neq; sic hypothesis ista quicquam ad rem facit; Nec enim sequitur, igitur oportebat jure divino ut uni Petro unus & solus Romanus Episcopus succederet, neq; de jure divino eadem dignitas, uti Suarez vocat, idem locus est, in quo Petrus sedisse dicitur, Quod tamen ob juris divini prætensionem de fide papistarum est, Neq; sufficit, ut jure divino constet, unum aliquem successurum Petro in universali Episcopatu, nisi simul jure divino constet, quis & cujus loci Episcopus sit ille, qui succedit. Quomodo enim inter discipulos dubium erat, quis proditurus esset Dominum, etsi Dominus dixisset, *unus ex vobis prodet me, Joh. 13. 22.* ita quamvis dictum esset discipulis, Unus ex vobis succedet Petro in Oecumenico Pontificatu, nemo utiq; sciret, quis futurus sit ille successor, ac si quis tàm temerarius sit, qui dicat; de jure divino est, ut solus Romanus Episcopus succedat, cùm nihil tale in jure divino exstet, ridiculus nescio an impudens magis habendus sit, qualis habitus fuisset, qui citra Christi designationem asseruisset, judas Ischarioth proditurus est Christum.

3. Multò minus sequitur, ut Unus & solus Romanus succedat.

4. Etiamsi & hoc sequeretur, oportere de jure divino, ut unus Romanus Episcopus succedat, non potest tamen succedere in id, quod Petrus jure divino ipsi non reliquit. At Ecclesias Germanicas, quæ nunc Lutheranæ dicuntur, Petrum successori suo regendas reliquisse ex jure divino non constat. Igitur de jure divino necessarium non est, ut Romanus Episcopus has Ecclesias pascat, multò minùs ut Ecclesiæ hæ pro Pastore Eum agnoscant, nedum, ut necessitatem hujus agnitionis pro conclusione de fide habeant.

4. Quod Petri non fuit, in id non potuit succedere Romanus Epis.

XIII. *Quarta hypothesis* ex quâ, ceu adæquato & proximo principio, effici debebat, juris divini esse, sive quod idem est, *posse sine additione alterius principii probandi, per legitimam interpretationem ex scripturâ probari, quòd omnis & solus Romanus Episcopus sit Oecumenicus Pontifex, planè* deficit, ac pro eo quod debebat Jesuita evince-

Quarta hypothesis non probatur ex scripturis.

re;

re; *propositionem hanc contineri virtualiter in principiis scripturæ*, uti Suarez dixerat, ab initio numeri 5. l. d. Substituit: *Quâ in sede, vel Episcopatu relicta fuerit Oecumenici successio, & personarum series, in hac dignitate succedentium, scriptura non retulit, quia historia Canonica Novi Testamenti usq; ad mortem Petri non pervenit. Ideoq; ut Ecclesiæ certò constet, in tali sede impletam esse, & hactenus impleri institutionem, à Christo factam, & in scriptura revelatam, satis est, ut applicatio illius institutionis & dignitatis, ad talem Episcopatum per evidentem traditionem, & continuum ac notissimum usum, eidem Ecclesiæ sufficientissimè proponatur.*

XIV. Ubi adverto 1. quòd Jesuita hanc propositionem iis, *quæ sufficienter in scriptura continentur, non per additionem aliquam, sed per legitimam ejusdem scripturæ interpretationem*, signanter contradistinguat, Quando continuò subdit: *in quâ autem sede &c. Scriptura non retulit*; Intelligo, vi oppositionis; quòd nec *sufficienter, nec per legitimam interpretationem id retulerit, sine additione alterius principii probandi*, quod Jesuita quidem videtur agnoscere, quando ad finem *numeri 6.* postquam ad traditionem provocaverat, ait: *Hoc ergò modo dicimus, assertionem petitam esse de fide, & in scripturâ, Ecclesiæ traditione adjunctâ, sufficienter contineri*; Quæ sanè clausula, omninò contradictoria est, & partim falsa, perinde ac si dicerem: Monachorum continentiam ex voto ipsorum, & adjunctâ concubinâ sufficienter perspici, ac nihilominus jactarem; Monachorum continentiam ex solo ipsorum voto sufficienter probari: Quamprimùm enim Ecclesiæ, quam vocat, *traditio*, adjungitur scripturæ, cadit Jesuitæ jactantia, quòd sit *assertio virtute in sacris scripturis contenta*, (solum Romanum Pontificem esse Pastorem Oecumenicum) *quæ sine additione alterius Principii probandi* inde deduci possit. Atq; hoc sufficere nobis poterat ad propositionem nostram confirmandam: Non posse per legitimam interpretationem, neq; sufficienter, neq; sine additione alterius principii, ex scripturâ probari, quòd solus Romanus Episcopus sit Oecumenicus, quia id, quod ex alieno principio, traditione, videlicet, probatur, non est juris divini, de quo nunc disputamus. Neq; verò traditio additur ad scripturam, tanquam probatio

Sed contradistinguitur iis, quæ sufficienter ex scripturâ probari dicuntur.

Et traditione à scripturis heterogenâ nititur.

probatio homogenea, quomodo ad pædobaptiſmum demonſtrandum, ſcripturæ additur traditio, adeoq; non ex uno ſolùm, ſed duobus principiis probatur; verùm adducitur traditio præter & contra ſcripturam, quia ſcriptura de Romano Epiſcopo nihil refert, uti facere dicitur traditio, & quoad hanc partem manifeſtò falſa eſt clauſula; *traditionem adjungi ad ſcripturam, ut fiant ita duo principia, ex quibus Romani Epiſcopi univerſalis Epiſcopatus probetur.*

Falſatatio, cur ſcriptura ſucceſſoris Petri, ſi quis eſſe debebat, non memi-merit.

XV. Adverto 2. *probationem*, cur ſcriptura perſonam ſucceſſuri Oecumenici, aut notam aliam, ex quâ infallibiliter in individuo agnoſci poſſit, non deſignaverit, *futilem & nullam eſſe*, quia non ſolet ſcriptura in tàm arduo negotio, cui ſalus totius Eccleſiæ, ex hypotheſi Papiſtarum incumbit, deſignationem ſucceſſoris, usq; poſt anteceſſoris mortem differre, ſed quomodo ſtatum totius Eccleſiæ, ita cardinem inprimis, in quo ſtatus & ſalus univerſæ Eccleſiæ vertitur, prænunciare; *ſic Aharonis, & filiorum ejus in ſummo ſacerdotio perpetua ſucceſſio, tantâ curâ & tàm frequenter à DEO inculcabatur, ſuperſtite adhuc Aarone, ut vix quisquam fidei articulus tantâ ſolicitudine repetitus legatur.* Exod. 28. ſeq. 41. ſeq cap. 29. 1. ſeq. Levit. 8. per tot. Num. 3. 7. 10. 32. 39. cap. 18. & ſeqq. 1. Chron. 23. 12. ſeq. cap. 20. 25. 26. Deut. 10. 6. &c. Hac deſignatione deficiente, utiq; nec *Core* ac complicum, adverſus primum Aaronis ſacerdotium depugnatio, ex jure divino refutari potuiſſet, uti fit. *Num. 16. 5. 10. 28.* Nec de jure divino, *ii à ſacerdotio depelli potuiſſent, qui quanquam in poſſeſſione eſſent, deſignationem ſuæ familiæ jure divino probare non poterant. Eſdræ 2. 62.* Nec Jeroboamo objici potuiſſet, *quòd contra legem DEI feciſſet, conſtituendo ſacerdotes, non Levitas*; niſi lex divina ſcripta extitiſſet, quæ hanc tribum certâ quâdam notâ deſignâſſet *1. Reg. 13. 34. 35. Confer Ezech. 44. 7. 15.* Sic nemo inter Papiſtas ipſos tàm vecors eſt, qui non ex minutiſſimo puncto, ubi ſaltem Petri aut Paſtoris mentio fit, comprobare nitatur, *Chriſtum* dum in vivis eſſet, ſeu ut Suarez inquit, *priusquam Eccleſiam ſuam militantem quoad viſibilem corporalem præſentiam relinqueret*, eam Petro tanquam vicario ac ſupremo Paſtori commendâſſe. Ideoq; *Sanderus l. 6. de Monarch. c. 4.*

decem

decem argumenta ex verbis Christi, dum adhuc in terris ageret, septem ex factis Christi ante mortem subitam, quinq; ex factis Christi post resurrectionem collegit, quibus probaret Petro Episcopatum Oecumenicum à Christo non solùm traditum, sed & injunctum esse, ac sæpius repetit *fol. 125. 155. 166: Petro, tam mature, Christo adhuc superstite, primatum, demandatum esse, ne cui postea de personâ successoris dubitandi ratio relinqueretur*, sic Barrad. etiam Tom. 2. l. 10. cap. 24. n. 2. & alii.

XVI. Quanta ergò erat necessitas, ut vivente Aarone, ejus successor perpetuus disertis scripturæ verbis designaretur, quanta necessitas, ut superstite in terris Christo, Petrus ex hypothesi Papistarum, supremus in terris vicarius, disertè & explicitè, uti putant, denotaretur, eadem necessitas erat, ut ante Petri mortem, scriptura successorem Petri ita designaret, ne ullo modo de eo dubitari posset. Porrò: uti nemo audebat esse tam temerario, qui non exstante unius individui designatione, Generalem hanc hypothesin: *Aliquis Aaroni succedet, aliquis Christo succedet*; ad certum individuum (verbi gratiâ Eleasarum, aut Petrum) non accommodaret solùm: sed accommodationem etiam de jure divino diceret; ita impudentissimi omnium sunt, qui, non exstante in sacris designatione certi individui (quanquam vagi cujusdam ad successionem designatio exstaret) audent pro articulo fidei, de jure divino tali, Christianis obtrudere, *solum Romanum Episcopum, & non alium, esse successorem in Pontificatu, si quis est, Oecumenico.*

Necessitas postulabat, ut quomodò agente in terris Christo, Petrus, ita superstite Petro, ejus, si quis futurus erat, successor designaretur.

XVII. Adverto 3. *Falsum esse, quòd historia canonica Novi Testamenti usq; ad mortem Petri non pervenerit*, Nam inprimis notum est, *Tres Johannis Epistolas, & Apocalipsin post* mortem Petri scriptas esse, quibus non solùm occasio erat, *sed pro ratione etiam argumenti, quod in iis tractatur, oportebat mentionem fecisse Capitis Ecclesiæ*, an, & quod illud sit, quod Antichristo, ejus præambulis, & comitibus esset restiturum, præsertim cùm per famosam illam *Babylonem* Jesuitæ velint urbem Romã intelligi, circa cujus tâm *prolixã descriptionẽ, mores, cives, incremẽta, decrementa*, omninò oportebat capitis Oecumenici, si quod Romæ residebat, meminisse, cùm aliàs universo sacro Canone, de propriâ ejus sede, adeoq; infallibili notâ,

Historia Novi Testamenti ultra mortem Petri protenditur. Apoc. c. 13. 14. 16. 17. 18. 19. per totæ.

Eaq; debebat ex Suaresii hypothesi, Oecumenici personam designare.

nullus apex exstet; Ac *Suaresii* quidem *evasio hoc posset*; quando enim ait; *successorem Petri Oecumenicum, in sacro codice ideò designatum non esse, quia historia Novi Testamenti usq; ad Petri mortem non pervenerit*, præsupponit utiq;; *Si pervenisset, sine dubio hunc successorem fuisse designaturam.* Quocirca cum quadraginta fermè annos, post Petri mortem attigerit, nec tamen successorem Petri designaverit, quis, & ubi futurus sit, ut cognosci possit; sequitur, *Suaresii effugium ineptum esse*, & assertionem falsam, *quòd Solus Romanus Episcopus, de jure divino sit Oecumenicus.*

Usurpatio regiminis Oecumenici, nequaquam demonstrat subesse jus divinum.

XIIX. Adverto *quarto.* Non sufficere ad præfecturam Oecumenicam Romani Episcopi juri divino asserendam, *etiamsi demonstretur per evidentem traditionem, & continuum ac notissimum usum, usurpatio Universalis illius Episcopæ, à Christo institutæ, facta ab uno & solo Romano Episcopo.* Quanquam enim & hoc falsò supponatur, posito tamen. 1. Usurpatio cujuscunq; rei jure divino ad usurpandum institutæ, non facit, ut usurpatio ab hoc vel illo individuo, eoq; solo, & hoc quidem loco facta, sit juris divini, *successio pastorum & Doctorum in Ecclesia est juris divini Eph. 4. v. 13.* Uti tamen juris divini non est, ut Cajo succedat Titius, & non Clemens, aut alius: ita juris divini non est, quanquam institutio Papatûs juris divini esset, ut Petro succedat Linus, & non Evaristus, ac *quemadmodum ad certum individuum non valet conclusio, de jure divino, ita nec valet ad certum locum*; Nulla siquidem diversitatis ratio est. Tàm enim inepta collectio est, si dicas; oportet in unâ sede succedi Oecumenico. Igitur Romæ oportet, quàm si dicas: Oportet unum succedere Oecumenico; igitur solum Romanum oportet, ut maximè enim antecedens esset juris divini, consequens tamen, seu accommodatio ad certum locum, seu certam personam non esset, ut patet.

Successio ex loco, non anguit successionem ex principatu, inquit Card. Cusan. l. 1. de Concord. Cathol. cap. 34.

Accommodatio per jus divinum ad certam personã, evidens sit, oportet, ante usum seu usurpationem ipsam.

2. Eo ipso, quòd accommodatio ad certam sedem, ad certum individuum fit, *per traditionem & continuum usum*, desinit fieri juris divini. Nam *quæ accommodatio fit per jus divinum ad certam sedem, & certum individuum, ea evidens est ante usum ipsum, & ante traditionem de usu.* Quomodo summi sacerdotii à Deo instituti accommodatio ad Jerosolymas, ad Eleasarum, evidens & notissima

erat,

erat, antequam Jerosolymæ occuparentur, antequam Eleasarus sacerdotium adiret. Sic accommodatio primatûs ad Petrum; jure divino (ex hypothesi loquor) evidens & notissima erat, antequam Petrus primatum adiret, uti communis Papistarum de verbis Christi Matth. 16. (*Super hanc petram ædificabo*) sententia est. *Neq; enim ex qualitate pòst facti, jus divinum præcessisse convincitur, sed ex præcedente jure divino, qualitas post facti juri divino consentanea esse dignoscitur.*

Ideoq;. 3. Usurpatio illa potestatis à Petro relictæ (ponendo, quòd relicta sit) abs Romano Episcopo facta, non solùm non demonstrat, quòd jure divino facta sit, sed neq; probat, quod ullo jure facta sit, imò nec hoc probat, quòd is qui eam usurpavit, ideò successor Petri sit. Si enim ita licebit colligere; *Romanus Episcopus usurpavit potestatem illam à Petro relictam, igitur jure illam usurpavit, quia oportebat de jure divino, ut unus saltem eam usurparet*; ego similiter colligam; *Solus Simei usurpavit potestatem illam, à Rege Ella in Israële relictam. 1. Reg. 16. 9.* Igitur jure illam usurpavit, quia oportebat de jure divino (supponendo) ut unus saltem potestatem illam Regiam usurparet; Unus *Anani* summus judæorum Pontifex, usurpavit *sacerdotium à Josepho relictum*, igitur jure illud occupavit, quia jure divino sancitum erat, *ut summum sacerdotium ab uno solo occuparetur.* Et quis non videt illam absurditatem, si hoc perstet: *Qui unus id occupat, quod uni à DEO occupandum relictum est, is sine dubio is unus est, qui jure divino id occupare debebat.*

Usurpatio, nec jus nec successionem legitimam, imò plane non successionem probat.

Solus } *igitur* } *Lorinus in Act. 4. 6. Toletg comment. in Joh. 11. 41. c. 18. Annot. 1. Contzen. in Luc. 3. 2. & Maldon. hic Barrad. Tõ. 2. l. 1. c. 1. Joseph. antiquit. l 20. c 15. & 20.*

Sed nec 4. sequitur, quòd invasor iste, verus Petri successor sit, nisi dicas *Agathoclem Siculum, Oliverottum Firmanum, Alexandri VI. naturalem*, & similes viros, in Rep. Syracusanâ & Firmanâ; *Hyrcanum, Aristobulum, Alexandrum*, & similes, qui in uno loco, uni successerunt, summo Sacerdoti; veros ejus Successores factos esse; *Aut enim ideò verus successor est, quia Petrus ipse eum designavit talem*, (supponendo quòd designandi potestatem habuerit,) quorum neutrum ex jure divino constat, de quo hîc disputamus. *Aut ideò, quia Petri relictam potestatem usurpavit;* At hæc usurpatio, nec divino, nec quovis jure, verum successorem demonstrat, uti palam

Usurpatio non probat successionem.

Marchiabellus de principe c. 8. Joseph. Antiquit. l ult. c. ult.

palàm eſt; *Aut quia in illo loco ſucceſſit, in quo Petrus, ut Oecumenicus ſederat*; At quomodo non poteſtatis uſurpatio, ita nec loci occupatio verum ſucceſſorem demonſtrat, cùm connexionis ratio, cum legitimâ ſucceſſione, in utroq; paris nullitatis ſit, præterquam, quôd multa falſa hîc ſupponantur, ut quòd, (1.) Oecumenicus Epiſcopatus neceſſariò certam ſedem habeat, (2.) Quòd non ſolùm uno tempore unam, ſed omni tempore unam & eandem ſedem habeat. (3.) Ubi Petro ſucceditur in particulari Epiſcopatu, ibidem & nusquam alibi, oporteat ſuccedi in Oecumenico. (4.) Quòd, qui ſuccedit in particulari, non poſſit non ſuccedere in Oecumenico Epiſcopatu. (5.) Qui ſuccedit in particulari Epiſcopatu, eo ipſo ſuccedat etiam in Oecumenico; quæ ſingula uti nec traditione, de quâ poſtea, nec evidenti ratione vera ſunt, ita multò minùs jure divino talia, de quo uno nunc nobis quæſtio eſt.

Falsò ſuppoſita. 1 2 3 4 5

Dicta ſcripturæ conformantur à Papiſtis ad ſuas hypotheſes.

XIX. Dicta ſcripturæ, quibus Papiſtæ abuntur ad probandũ ſolius Romani Epiſcopi Oecumenicũ Pontificatũ, pro diverſitate hypotheſeon ſupra adductarum, quatuor generũ ſunt. Non enim putandum eſt, hypotheſes illas ad diverſam emphaſin dictorum ſcripturæ conformatas eſſe: ſed ad hypotheſes, quas Papiſtæ videbant, tuendo Oecumenico neceſſarias eſſe, dicta ſcripturæ adegerunt, uti ex collatione antiquorum & recentiorum interpretum ad oculum patet. Ut (exempli cauſâ) qui unquam ex vetuſtioribus in verba Chriſti *Matth. 18.16.* (*Dic. Eccleſiæ,*) commentati ſunt, inter reliquos diſcipulos, *etiam Petrum ad Eccleſiæ judicium remiſſum eſſe, docent*, uti etiam textus ipſe, id evidenter oſtendit. At qui noviſſimè Papæ ἀνυπεύθυνον judicium defenſant, verba hæc ad hypotheſin ſuam ita accommodant, ut (*Dic Eccleſiæ*) interpretentur de Papâ hoc modo: *Dic tibi ipſi*; atq; ita in reliquis communiter valet *Cuſani* illa Maxima: *Scripturas ad tempus adaptari, & variè intelligi, ita ut uno tempore ſecundum currentem univerſalem ritum exponatur; mutato ritu iterum ſententia mutetur.* Epiſt. 2. ad Boemos de Uſu communionis.

Marcus Ant. l. 1. de Repub. c. 11. n. 9. l. 4. c. 7.

Bell. l. 2. de Concil. c. 19. col. 101. D.

II. Argumẽtũ, ex dictis ſcripturæ, refellitur.

XX. Quædam igitur dicta ſcripturæ torquent Papiſtæ ad probandum Petri primatum ſupra omnes Apoſtolos & Oecumenicam

menicam Episcopam in omnes Christianos, eosq; non solùm ratione loci, sed & temporis, universos. *Quadam* ad probandam perpetuitatem successionis in hoc primatu; cætera quæ rem omnem, & tantum fidei articulum conficere debebant, nempe, Unum & solum, nec alium, quàm Romanum Episcopum de jure divino succedere in hoc Episcopatu Oecumenico, nusquam reperire est, quanquam nihilominus superbis capitum rubricis hoc promittant. Bellarminus; *Romanum Pontificem Petro succedere in Ecclesiasticâ monarchiâ, probatur ex divino jure & ratione successionis.* Suarez; *Romanum Episcopum verum Petri successorem esse, & in eo Petri potestatem perseverare, ex divinâ scripturâ credendum esse, ostenditur.* Sanderus; cùm juberetur tabulas proferre, quibus solus Romanus Episcopus Petri successor & Oecumenicus declararetur, de tabulis tacet, prolixâ verborum garrulitate *quædam DEI opera pro institutione Romanæ cathedræ* declamitans, *quæ nihil aliud esse*, ait, *quàm cœlestia quædam Archiva*: Verùm non sinemus nobis eripi contrariam eorum Confessionem; *Quòd solus Romanus Episcopus Petro succedat in Vniversalitate regiminis, id non ex divinis literis, sed ex Petri facto constare*, uti supra Bellarm. & Suaretz. fatebantur.

Bellarm. rubr. c. 12. l. 2. de Rom. Pont. Suarez. rub. c. 13. l. 3. Defens. Sanderus de clave Davidl 3. c 3.

XXI. Universa autẽ scripturarũ testimonia pro stabiliendâ primâ hypothesi de Petri primatu, tũ pro alterâ de, perpetuitate hujo primato in Ecclesiâ, etsi in formâ optimâ hoc probarent, quod Papistæ intendunt, nihil tamẽ ad rẽ foret, ut supra in refutatione hypotheseon dictum est. Hîc enim fidei articulus jure divino probandus est: *Unum & solum Romanum Episcopum, quia Romanus est, esse Oecumenicum pastorem omnium Christianorum.* Fuerit Petrus, qualis quantuscunq; esse voluit aut potuit, sit successio in vicem Petri jure divino necessaria; cœlum citiûs ruet, quàm hinc probaturi sunt Papistæ; *igitur de jure divino necessum est; solum Romanum Episcopum, quæ Romanus est, & non alium Petro succedere.* Ac tametsi succedat, nondum sequitur, quod nos quærimus: *Teneri de jure divino Christianos omnes, & in specie Ecclesias Evangelicas, quæ in Germaniâ sunt, professione, moribus & obedientiâ huic successori Petro subesse.*

Universa scripturarũ testimonia, quæ Papistæ congerunt, nihil ad rem faciunt.

XXII. Sed defectus juris divini, in hoc articulorum omniũ Christianæ fidei vel maximè necessario, qualem Papistæ ipsi agnoscunt,

Defectus juris divini in tã arduo articulo, demonstrat Papistarum falsitatem.

agnoscunt, fidem nobis facit, Conclusionem hanc non solùm incertam, sed omninò falsam esse. Nam 1. *In iis, quæ fidei quæstiones attingunt, nihil est, quòd scripturis sacris non aliquo modo contineatur*, dicebat Cassander; *Fundamenta necessaria ad salutem, tàm in fide, quàm in opere, OMNIA posita sunt per Christum & Apostolos ejus, IN SCRIPTIS quæ reliquerunt*, ait Alphonsus Tostatus Abulensis Episcopus, *suo tempore eruditissimus, in divinis scripturis longâ & continuâ exercitatione peritissimus, Vir sanctitate & doctrinâ celeberrimus* ex Bellarm. elogio. At soli & uni Romano Episcopo præstandam esse â Christianis omnibus obedientiam, est maximus fidei articulus, atq; *omninò de necessitate salutis* (a) *ut olim ex Judæis, ita nunc ex Romana Ecclesia salus est* (b) Romani Papæ necessitas tanta, *quanta Solis inter astra, capitis in corpore* &c. Nec tamen hoc tanti ponderis dogma in scripturis, *sed in solo Petri facto consistit, qui solum Romanum Pontificem voluit reliquere successorem* (d) Neq; in scripturis narratur quidem, nedum præcipitur. *Neq; à Romanis Pontificibus, hæc institutio tanquam de fide narratur, Marcellus enim & Leo pp. non definiunt hanc rem* (sedem Petri & successionē ejus non esse alibi quàm Romæ) *tanquā de fide, sed narrant ut historiam*, (Christum jussisse Petrum, ut Romæ sedē figeret) Non sunt autem de fide Pontificum narrationes, *sed solùm decreta* (e)

2. Leviores articuli, & ad salutem multò minùs creditu necessarii, Papistarum judicio ex scripturis sunt demonstrabiles, *recipiebant enim Papistæ in Colloquio Ratisbonensi: Se omnes fidei suæ articulos, ex solâ scripturâ sufficienter adversum nos demonstraturos.* Et *doctrina purgatorii ex scripturis sine dubio probatur*, inquit Roffensis. *Esse veras traditiones, demonstratur ex scripturis.* (a) *quòd infernus sit loco subterraneus; Quòd animæ piorum ante Christi ascensionem non fuerint in Cœlo, ostenditur ex scripturis.* (b) *Quòd Episcopi majorem potestatis jurisdictionem habeant presbyteris, probatur in scripturis* (c) *Septenarius sacramentorum numerus probatur in scripturis* (d) *Character probatur ex scripturis* (e) *paradisum fuisse locum corporeum, plantis veris corporatum, plenum, & vero fonte fluminibus irriguum, probare possumus ex divinis literis* (f) Ex scripturis habemus B. Virginem sine peccato Origi-

De officio pii Viri, pag. 8. opp. pag. 782. In Defensorio, c. 53. Sixtus Senensis l. 4. Biblioth. Bellarm. de scriptorib. Anno 1440.

(a) *ut supra Bonif. VIII. c. Unum S. Extrabag. De Majorit. & obed.*

(b) *Sander in fine c. ult. l. 8. Monarch.*

(c) *Bellarm. præfat. de Rom. pontif.*

(d) *Idem l. 2 de R. P. c. 12. col. 635. D.*

(e) *Idē l. 4. de R. P. c. 4. sub fin.*

Scriptura multò leviora non tacet, nedum tam arduam rē. in Resp. ad dicta Patrū. insertâ sess. 8. fol. 180. edit. Lubec. 5. ad lectorē. Art. 37. contra Lutherū.

(a) *Bellar. l. 4. de V. D. c. 5.* (b) *Idē lib. 4. de Christi anima cap. 10. 11.* (c) *Idem l. 1. de Clericis cap. 14. col. 267. D.* (a) *idem l. 2. de effectu sacram. c. 24.* (e) *c. 20. ibid.* (f) *l. 1. de grat. prim. hom. cap. 10. §. igitur.*

nali

nali concepta fuisse. (g) Hæc, & alia minutiora Papistæ in scripturis revelata dicunt, quarum cognitione infinitæ Laicorum myriades absq; dubio carent, & salvantur; Quis igitur credat, doctrinã *de summâ Christianismi* (h) *de introitu in Ecclesiam* (i) à Spiritu sancto neglectam, adeoq; turpiter Ecclesiæ provisum esse? *Credat judæus Apella, non ego.*

3. Nota est Papistarum argumentatio, pro derogandâ reliquis Christi discipulis pari cum Petro potestate: *scriptura non refert, reliquis Apostolis dictum esse: pasce oves meas, sed Soli Petro, igitur non reliqui Apostoli: sed solus Petrus est Pastor Oecumenicus.* (k) *Dictum est Petro: super hanc petram ædificabo &c. Non verò aliis. Igitur hi non sunt petra Ecclesiæ: sed solus Petrus* (l) Faciant nobis hanc gratiam, ut liceat in re graviori eâdem formâ uti; *Nullum jus divinum dixit Romano Episcopo; Tu, Unus, Solus, eris Oecumenicus,* igitur non est talis.

4. Saluti hominum tantoperè interest, scire, quòd jure divino, solus Romanus Episcopus sit pastor Oecumenicus, &, quod oporteat omnes huic esse subjectos, quãti interest scire eos, omnes omninò, vel quemcunq; ex præcipuis de Deo & Christo articulos, probo:

Quia ex Papistarum sententia, nulla datur vera cognitio cujuscunq; fidei articuli, quam caput illud Oecumenicum in membra sua non influxerit, uti supra Becanus dicebat. Et *quamvis universa scripturarum dogmata crederemus, non posse tamen ea, ut scripturæ dogmata nos credere: sed ex quâdam petulantiâ iis assentiri, nisi propter autoritatem Ecclesiæ, quæ in Papam resolvitur, ea credamus,* censet Bellarminus. *Omnis enim de fide infallibilitas est in solo Pontifice; Non in Episcopis, aut fidelibus totius orbis.* (a) Adeò, ut medium nullum supersit, in universâ rerum naturâ, quo deveniri possit in noticiam cujuscunq;, quod de Deo credibile est, nisi per influentiam à Romano Pontifice. Unde nemini non apparet, quia veritatem cujusq; fidei articuli nemo potest assequi, nisi ex doctrinâ, Unius, Solius, Romani Pontificis; non interfuisse tanti Ecclesiæ, ut exstarent scripta divina, quàm ut articulus hic de Romano Pontifice, Oecume-

(g) *l. 4. de amiss. grat. c. 15. col. 292. A.* (h) *idem præfat. lib. de summo Pont.* (i) *Sanders l. 5. de Monarch. c. ult. Papistæ á Silētio Scriptura negativé concludunt, concedant in in re tám gráti, nobis idem jus.* (k) *Bell l. 1. de R.P. c. 16.* (l) *idem l. 4. c. 3. Sanders l. 6. Monarch fol. 167. 171. 185. Extare dogma de Romano Pontifice, in scripturis, tã est necessariũ ut universa Biblia, aut quicquid de Deo prætereà Scibile est, non sine aqúe necessaria. Probatur ex Papistis. Man. l. 1. c. 5. §. 127.*

l. 6. de grat. & l. arb. c. 3. col. 767. (a) *Bell. l. 2. de Christo c. 28. col. 374. Lib. 3. de Eccles. c. 10. col. 138. Loring in act. 15. 7. Bid. Downã. de Antichristo l. 4. c. 5. §. 2. 3 4.*

nico, & infallibili omnis veritatis Doctore, exstaret. Quomodo enim, comparativè loquendo, tàm necessarium non erat, ut ullum de Christo vaticinium exstaret, quando Messias jam incarne exhibitus erat, quàm ut exstaret testimoniũ DEI ἀσφαλὲς scripto & voce proditum, *Hic est filius meus dilectus, hic Propheta ille Magnus, hunc audite.* (b) Sufficiebat enim hæc legitimatio hujus Doctoris, ad omnia saluti necessaria ab ipso conquirenda, quanquam de cætero, nullum indagandæ veritatis medium supereſſet; Ita, ex hypothesi, potius erat, nullum jota scriptum exstare, de DEO aut voluntate divinâ, quàm inter exstantia tàm multa volumina, Unum, Solum, verum, infallibilem omnis scripturæ interpretem non esse designatum, sine cujus interpretatione, nihil proderat, universum sacrum Canonem, aut si infinitè plures contexti essent Codices, exstare. Quàm solicitè, quàm accuratè, vasto illo scripturarum volumine, etiam minutiora, quæ quotusquisq; salutis æternæ hæres ne lustravit quidem, pertractata sunt? Nec tamen arcem atq; apicem omnis pietatis, ac salutis, & sine quo ista omnia cassæ nuces sunt, scriptura vel verbulo indigitavit. Quid opus erat, scripturas tàm esse solicitas, in designandâ summi sacerdotis, sub veteri lege, personâ & autoritate; quorsum Christus tantoperè desudavit in asserendo Petri primatu, & universali Episcopâ, quid attinebat, toties inculcare, quòd oporteat hanc Episcopam esse perpetuam, nisi id, quod est summa rei, definiretur; quis, quo loco successurus sit in hac universali Episcopâ? Tantamne rem à tàm lubricâ, bardâ & blitâ conjecturâ suspendere decet; *qui occupat Episcopatum in eo loco, in quo Petrus mortuus est, is est universalis ille Doctor, Christi Vicarius, Sponsus Ecclesiæ, & in terrâ Deus?* certè, operam lusit *Sanderus*, quando tanto apparatu, ab origine mundi, in hanc usq; diem, regimen Ecclesiæ ab uno, summo Rectore visibili, administratum esse contendit, nec, cùm ad caput rei ventum esset; (*solum, & non alium, quàm Romanum Episcopum oportere Monarcham illum esse,*) conclusionis hujus, quæ basis est salutis humanæ, ex tanta testium nube vel unum produxit, qui hanc conclusionem de fide esse diceret, nisi qui se parasitari professus esset, nempe:

Simile.

(b) *Matth. 3.17. c.17.5. Act. 3.22.*

Frustra sunt universa Biblia, nisi Romanum Papam definiant.

Toto l. VII. de Monarchiâ Ecclesiasticâ. Sanderi imbecillitas.

Amphora cœpit
Institui, currente rotâ, mox urceus exit.

Si quid veritatis, ne dicam necessitatis, huic Conclusioni subesset, profectò DEUS ab inclementiâ, vel injustitiâ absolvi non posset, qui leviora dogmata tantâ industriâ describi, repeti, inculcari jussisset, & hoc omnium primum & maximum, in quo cardo salutis humanæ vertitur, tanquam proximo & adæquato principio, hominibus invidisset, non sine innumerabilium animarum (ex papistarum hypothesi) damno & irreparabili exitio.

Promissio DEI, & hæc nixa justicia nõ patiuntur scripturas tacere Romanum Pontificem, si Oecumenicus est.

XXIII. Unde concludimus, quia sacra scriptura, quæ alios fidei articulos, atq; ea quoq; quæ salvâ fide ignorari possunt, tantâ industriâ nobis consignata reliquit; Romani autem Pontificis, quòd is solus & unus sit omnium Christianorum Caput & Doctor, ne verbo quidem, aut nutu meminit, *Papistis fatentibus*, sed tota hæc moles, cui salus omnium Christianorum incumbit, *ab occupatione Episcopatûs, in loco mortis Petrinæ* pendet, non solùm non necessarium esse hoc dogma ad salutem: sed vanum, frivolum, impium, falsum; adeoq; (quod intendimus) nullum Christianorum, nedum Christianos occidentis, & in specie, Evangelicas Germaniæ Ecclesias, teneri de jure divino, ut Romano Episcopo, tanquam de jure divino, constituto Oecumenico Episcopo, obedientiâ & moribus subsint.

Quia autẽ tacet, fabula est Romani Episcopi universus typhus.

XXIV. Nunc tertium, argumentum ad probandam propositionem nostram Minorem, supra thes. 6. allatum depromimus, ex Papistarum concessione: *Non esse juris divini, quòd solus Romanus Episcopus, quâ Romanus, Petro succedit, sed esse ex Petri facto*, quod factum diversimodè interpretantur.

III. Argumentum ex Papistarum confessione, proponitur.

Bellarminus per *factum Petri*, intelligit, *quòd Petrus Romæ sedem suam fixit*, ex quo facto nequaquam tamen sequitur, quòd sedes Oecumenici perpetuò illic esse debeat, quomodo ex eo, quòd Clemens V. sedem Avenioni in Galliis figebat, non sequebatur, quòd perpetuò illic mansura esset, nec ea facto privilegium locale perpetuum Urbi conciliabatur, sed post 69. circiter annos Romam rursus transferebatur.

Anno Chri. 1305.

Suarez, *per factum Petri*, ejus *Episcopalem curam, Romæ usq; ad mortem habitam* intelligit, unde ordinariè sequatur successio in jus, quando fit successio in eâdem urbe.

Sanderus de clave Davidlib. 3. cap. 13. oper. 6.

Sanderus, per *factum Petri*, intelligit, *constitutionem quandam testamentariam, quâ Petrus ita sanxerat: Clementem vobis Episcopum ordino* &c. Quicquid sit; ut appareat, ex Papistarum concessione. Conclusionem supra positam non contineri *virtualiter* in scripturis, argumentor: Quod per nullam legitimam consequentiam ex scripturis deduci potest: sed nititur simpliciter relatione historicâ extra scripturas, id non potest dici contineri virtualiter in scripturis. Vicissim, quod Papistæ ipsi opponunt juri divino, id non continetur virtualiter in illo jure, alioquin non opponeretur. Factum Petri quòd sive Romæ sedem fixerit, aut usq; ad Mortem ibi Episcopus fuerit, vel Clementem Episcopum ibi ordinaverit, non posse per ullam legitimam consequentiam ex scripturis deduci, sed ex solâ relatione historicâ scriptorum Ecclesiasticorum constare, nemo, opinor, Papistarum negare poterit. Præterea *factum Petri* disertè opponitur à Bellarmino & Suarezio *S. scripturæ*, & quod latius est, (quia ex traditione constare poterat) *primæ institutioni Christi.* Consequentia igitur evidens, factum illud Petri, ex quo ceu unico & adæquato principio, Romani Episcopi successio & Oecumenica Episcopa probatur, non contineri virtualiter in scripturis. Quodsi principium hoc non continetur, manifestum est, quòd nec principiatum, ex facto Petri deductum, in scripturis virtualiter contineatur. Quæ demonstratio hîc ideò subjungenda fuit, quia Bellarmino & Suarez cõcedũt quidẽ Rom. Episcopi, præ quovis alio Oecumenicam Episcopam, ex solo Petri facto, non Christi institutione, constare, & nihilominus gloriantur, conclusionem hanc contineri virtualiter in scripturis sanctis, seu jure divino, quæ ἀσύγατα esse, ob alienum à scripturis probandi adductum principium, hîc intererat demonstrare.

Suarez Defens. l. 3. c. 13. num. 5. Bell. l. 2. de R. P. cap. 12. col. 638. D. & col. 639. C.

Cani Testimonium.

XXV. *Melchior Canus, Canariensis Episcopus,* cùm falsus esset, nisi *successionem & ἀσφάλειαν Romani Episcopi* (quanquam & illam Ecclesiam includat) *certioribus argumentis probaverit, quam probent Catholici,*

Catholici, aut purgatorium esse, aut indulgentias Pontificias divinâ autoritate constare, Autoritatem suam apud lectores periclitaturam. Capite quidem *tertio* Petri primatum, infallibilitatem, & quod succedi ei oportuerit, tribus propositionibus ex scripturâ deductis astruere sibi visus est; sed cùm ad accommodationem harum hypotheseon, ex jure divino faciendam, ventum esset, primò ait: *etiam Catholicos nonnullos imprudenter inficiatos esse, Romanam sedem esse eam, ubi Petri & soliditas & autoritas DEO autore, collocata sint.* Deinde cùm jus divinum producendum esset. *Locum*, inquit, *arduum explanaturi, testibus primùm id faciemus &c. Ordiar autem ab ipsis summis Pontificibus; Anacletus, Euaristus, Alexander*, &c. acutè, cur non sic: *Lutherum fuisse Prophetam* DEI, *& angelum illum volantem per medium cœli, habentem æternum Evangelium, constat ex divinis literis; Testibus primùm id probabimus, orsi à Luthero ipso*, deinde, Papistis & Calvinistis in subsidium allectis, Matthæo *Schinero Episcopo & Cardinali Sedunensi, Wenceslao Rosdialovino, Erasmo Roterodamo, Andrea Musio, Cassandro, Thomo Brightmanno, Danæo, Pareo &c.* Et quidni? Extat enim apertè in scripturis, ejusmodi testem futurũ in Ecclesiâ. De accommodatione ad individuum solùm quæstio est, quam si ex Luthero probaverimus, utiq; erimus Papistis argumentando superiores, qui successionem in scripturis planè non exstantem, fingunt, & accommodationem ad suos Pontifices, per Pontifices ipsos faciunt. Nolo eos nunc relegare ad jus Canonicum, *quo, in suâ causâ vetatur Pontifex testari*, nisi tàm stupidi simus, ut credamus Bellarmino, *non agi Pontificum, sed Ecclesiæ causam.*

LL. lib. 6. c. 2. ab init.

Catholicorũ plurium.

Apoc. 14.

c. Testes. 4. q. 2. c. si testes §. Testes eos, & §. Nullus. c. Nullus. q. 4. ibid. c. insuper. de Testib9. Marcus Ant. de. Dom. l. 1. de Rep. c. 3. n. 24. l. 4 c. 10. n. 53. c. 8. Resp. ad argum. 10. §. Deinde. Cani Confessio.

Sibi autem redditus M. Canus, *illud magnopere advertendum esse*, ait, *Romanum Pontificem Petro succedere, non esse per se quidem in sacris literis revelatum, sed aliunde constare.* Deinde: *Ex Evangelio nihil aliud proximè colligitur, quàm Petri successores eundem habere cum Petro principatum. Si huic Evangelicæ conclusioni illam addas; Episcopum Romanum esse Petri successorem, quam ex historiis, à traditione virorum gravissimorum accepimus, manifestò colligitur; Romanum Episcopum & cæteris Episcopis superiorem esse, & eandem habere in Ecclesiâ potestatem & autoritatem, quam habuit Petrus.* Quodsi sententia hæc nostra minus viris doctis

doctis fuerit probata, habemus adhuc aliam rei explicandæ formam. Diximus quippe retrò, fidem nostram non solùm scripto: sed etiam traditione contineri, ita, licet Romanos Episcopos Petro succedere, in sacris literis non habeatur scriptum, tamen ab Apostolis, Ecclesiæ quasi per manus traditum est. Lepidè; Non unum muribus antrum. Nobis verò sufficit, quôd conclusio non sit juris divini, si principia talia non sunt, uti Transmarinus Episcopus fatetur.

Testimoniũ Dominici à Soto in 4. sentent. dist. 24 c.2.art.5. apud Gregorium, de Valent. lib. 7. Analys. c.12.

XXVI. *Dominicus de Soto existimat, rationem successionis jure Ecclesiastico tantùm annexam esse Episcopatui Romano, & proinde fieri posse autoritate Ecclesiæ, ut Petri successor Romanus Episcopus non sit: quia cùm Christus Petrum universalem pastorem instituebat, nulli eum certæ sedi addixit, neq; aliunde institutio Christi circa hoc, satis constat. Quare videtur potius totum hoc reliquisse Christus dispositioni Ecclesiæ, ut scilicet illa, pro ratione circumstantiarum ac temporum, variè statuere posset de conditione personæ eligendæ.* Adeoq; si Ecclesiæ placuerit, poterit Episcopus Engubinus, Trevirensis, vel Salisburgensis eligi in Oecumenicum, & transferri Universalis Episcopa ab urbe & sede Romanà, quod omnes pii optant. Hunc Dominicum, *Gregorius ipse*, dixerat, *esse autorem gravem, ob summam & doctrinæ & prudentiæ existimationem.* Sixtus Senensis, Eum vocat *summum Theologum, & Carolo V. Cæsari, à sacris confessionibus.* Bellarminus: *Virum doctissimum & pium valdè.*

l. 1. Analys. cap. 5.

Biblioth. lib. 4. D. De scriptor. Anno 1500.

Consensus Constantiensis Concilii. lib. 13. de doctrinal. princip. c.15. lib.1. de concil. c. 7. col. 13.

XXVII. *Patres Constantiensis Concilii, putabant primatum Pontificis Romani, non jure divino niti: sed tantùm positivis Ecclesiæ decretis*, inquit, *Stapletonus.* Equidem *hoc Concilium Patrum ferè mille, ex quibus Episcopi ampliùs 300. quantum ad primas sessiones, ubi definit, Concilium esse supra Papam, reprobatum est &c. Quantum ad ultimas sessiones, ab hominibus Catholicis recipitur*, excipit Bellarminus. Prudenter sanè. Etiam nostri pueri attrectant titionem eâ parte quâ sudat, fugientes eam, quâ adurit. Si nos stare vult Cardinalis, Concilii hujus judicio, in negocio *Transsubstantiationis, communionis sub unâ*, imò *in hac ipsâ controversiâ, de successione Romani Episcopi in Oecumenicam Petri jurisdictionem*, pro quâ, sess. 8. & 15. hujus Concilii, sine omni pudore, *allegat*, Æquum utiq; est, ut ipse multò magis, tanquam Romanæ Ecclesiæ filius, iis legibus stet, quibus

l.3. de Euch. c.21. col. 631. l.4. c.21. col. 729. l. 2. de Rom. Pontif. c.13. sub fin.

nos

nos constringere vult. Si Concilium non erravit de Transsubstantiatione, & mutilatione Sacramenti judicans, imò si Romanum Episcopum Oecumenicum judicem dicendo non erravit, judicium hoc jure divino à Romanis Episcopis acquisitum esse negans, nihilomagis erravit. Quam consequentiam, etsi ego probam non judicem, Cardinalis tamen, ut suammet, repudiare non potest. *Quum enim Calvinus adversus sanctorum invocationem, Concilii III. Carthaginensis testimonio pugnasset, Cardinalis eum jubet, ex testimonio hujus Concilii etiam libros Machabæorum in canonem admittere*, additâ ratione; *quia dicendum non sit: Eos patres in uno sapere, in altero delirare.* Si igitur Cardinali sapuerunt Patres Constantienses, in sententiâ de aliis articulis latâ, utiq; non delirârunt, quando Romanum Episcopum, non jure divino: sed humanâ constitutione, Petro successisse crediderunt; Et *SE habere à Christo IMMEDIATE potestatem, cui quilibet, cujuscunq; statûs, vel dignitatis, etiamsi papalis existat, obedire tenetur, IN HIS, QUÆ PERTINENT AD FIDEM, & extirpationem dicti schismatis, & reformationem generalem Ecclesiæ DEI, in capite & in membris*, quod bis repetitur à Concilio, sess. 5. Neq; hoc solùm declarat pro se, & præsenti schismatis inter Papas tempore, sed addit: *Quicunq;, etiamsi papalis dignitatis, præceptis, mandatis, statutis seu ordinationibus hujus sacræ synodi, aut cujuscunq; alterius Concilii Generalis, obedire contumaciter contempserit, debitè puniatur, etiam ad alia juris subsidia (si opus fuerit) recurrendo.* Si alteri potestati, etiam quoad depositionem à sede, & collocationem in sede, Romanus Episcopus de jure divino obedire tenetur, certè non jure divino: sed hominum voluntate, tàm est Romanus, quàm Oecumenicus Episcopus.

l. 1. de sanct. beat. c. 18. col. 739. A.

Sess. 4. apud Binium fol. 849.

Sess. 5. fol. 850.

XXIIX. Bellarminus equidem, quâ fronte ad hujus Concilii sessionem 8. & 15. provocârit, ut successionem Romani Episcopi in universalem Episcopam *juris esse divini* probaret, (Hoc enim rubrica capitis XII. & Cap. XIII. *Idem probatur ex Conciliis*, promittunt) pro meo stupore, ut sunt *Lutherani mente indolatiles, inepti ac pingues*, non odoror, nisi me fortè aliquis odos ex 37. Wicleffi articulo, quem synodus damnavit, feriat: *Ecclesia Romana est*

Bellarmino sine judicio provocat ad constantiense Concilium, in hac causâ Clarus Bonarsch. Amphitheate lib. 2. c. 3. Bell. l. 5. de grat cap. 19. col. 753.

VVicleſ. 37. articulꝰ damnatus, nihil ad rem facit.

est synagoga Sathanæ, nec Papa est immediatus & proximus Vicarius Christi & Apostolorum. Facilè autem est cuivis judicare, quòd voci (*Immediatus*) vim hîc fieri non oporteat, cùm declaretur per *proximum*, atq; mens Concilii sit; quòd Christũ & Papam Romanum, nemo intercedat major, aut superior Vicarius, qualis potest non intercedere, etiamsi non jure divino, sed humano, Romanus Episcopus in Episcopam Oecumenicam successerit.

Nec Hußi Undecimus.

Ex sessione XV. pariter nescio, quid pro hac thesi servire Cardinali possit. Quanquam enim inter alios, & hic articulus Husi, quem opinor intendisse Bellarminum, damnatus sit: *Non oportet credere, quòd iste, quicunq; est particularis Romanus Pontifex, sit caput cujuscunq; particularis Ecclesiæ sanctæ*: Nihil tamen hîc de modò, aut jure successionis dicitur, nec legitur Concilium quicquam de successione in Oecumenicatum ex jure divino, Romano pontifici tribuisse: sed contrarium constat *ex immediatè acceptâ potestate à Christo, deponendi & proponendi Romanos Episcopos*: quam sibi Concilium vendicat.

VVicleſi & Hußi artic. non omnes damnati ſunt, ut hæretici.

Tùm non omnes Wicleſi & Husi propositiones damnatæ sunt, *ut hæreticæ, sed plures articuli ut erronei, alij ut scandalosi, aliqui ut piarum aurium offensivi, nonnulli eorum ut notoriè hæretici*, prout dicit sententia in utrumq; lata.

Teſtimonia Antonij Cordubenſis Caſſalij VValdenſis &c. in Apoc. c. 17. fol. 238.

XXIX. Præter hos Doctores pontificios, refert Cornelius à Lapide, *Antonium Cordubensem, Casparem Cassalium, Thomam Waldensem, & plures alios*, apud Mendozam, Scholasticarum Controv. q. 4. concluſ. 3. Consentientes invicem in hoc; quod Episcopa Oecumenica possit à Romano Episcopatu separari, adeoq; Romanus Episcopus, quà Romanus, non sit Oecumenicus.

Gerſonis.

Quibus inprimis adijci debet, Illustris ille *Gerson*, Cancellarius Parisiensis, cujus quale judicium de jure Romani Episcopi fuerit, ex hâc Cardinalis Cajetani censurâ constabit: *Dum audimus Gersonium, & socios, Viros doctißimos, Papatum retinere & tueri, sciamus profectò, id ab eis verbis tantùm dici, non ex animi sententia, & ad vitanda scandala, ac ne majores adhuc turbæ in Ecclesiâ excitarentur.*

Cajet opuſc. 1. c. 8.

Pontifices in ſpeciē cõtradicẽtes Diſt. XXII. c. omnes &c. ſacroſancta.

XXX. Habemus itaq; & *Constantiensem synodum, Mille patrũ*, & non exiguam Papistarum phalangem, nobiscum consentientem, cui quanquam non nesciamus, Pontifices Nicolaum I. & perso-

personatum quendam Anacletum contradicere; Non loquuntur tamen 1. De successionis modo aut jure: sed de origine, quòd Petrus, quem credunt Romanum Episcopum fuisse, fuerit immediatè à Christo constitutus Oecumenicus, & ita hæc sedes à Christo privilegium hoc acceperit: quòd autem omnes Romani Episcopi quâ tales, simul succedant jure divino in Oecumenicã Episcopam, non dicunt. 2. Tametsi dicerent, testimonium esset domesticum, ac per hoc ineptum, *sunt autoritates Pontificum*, inquit Almaynon, *qui utplurimùm fimbrias suas nimiè extendentes sibi attribuunt, quod est Ecclesiæ proprium.* Cyprianus: *Dominus ipse docet & dicit, testimonium non esse verum, si quis ipse de se testis existat, eò, quòd unusquisq; utiq; sibi faveat, nec contra se aliquis infestus, & adversa deprimat*: Athanasius: *Nunquam profectò, reo partes judicandi arrogante, criminis absolutio contigit.* jmperium est res nimiùm favorabilis, pro quo nihil non dicitur. 3. Anacleti Epistola III. ex quâ cap. *Sacrosancta*, consarcinatum, suppositia est sine omni dubio, cùm Clementem antecessorem suum vocet, qui tamen juxta *Irenæum, Tertulianum, Eusebium, Sophronium & Epiphanium* (a) Anacleto fuit posterior. *Deinde* plæraq; ex Clementis primâ Epistolâ descripsit, ut ἀνωψία demonstrat. *Tertiò* profundam illam vocis *Cephas* notationem, quod dicatur quasi κεφαλὴ, *caput Apostolorũ*, Serariis, Bonarsciis, & Rosweidis dignam, tâm accuratè enucleavit, ut dubitari possit, num in priscam illam simplicitatem tanta acrimonia cadere potuerit, nisi dicamus, hoc solenne esse pientissimæ canitiei, ut de industria sapientiam hujus mundi despiciat quod faciliùs credo, cùm videam, notationes ejusmodi frequentissimas esse, ut: *Stephanus, quasi strenuè fans anus. Marcellus, quasi arcens malum à se, vel, quasi maria percellens. Hilarius, dicitur ab Hyle, quod est, quasi primordialis, materia: Agatha dicitur ab à, quod est sine, & geos, terra, & theos, DEUS, quasi Dea sine terra: Vedastus, quasi verè dans æstus, &c.* quæ ad miraculum frequenter occurrunt. Denig; acquiescimus in judicio *Cardinalis Cusani*, dicentis: *Ego illas Anacleti Epistolas Apocryphas credo*, cui succinit *Antonius Contius* Clari nominis JCtus: *Multa sunt*, inquit, *quæ planè demonstrant, confictas esse has Epistolas*, vid. *Marc. Anton. de Dom. lib. 3. de Rep. Eccles. c. 2. n. 2. Chamier Panstrat. Tom. 2. lib. 11. c. 19. §. 35.*

1. *Non sere contradicũt.*

2. *inepti testes sunt, in re sua.* *de Autorit. Eccles. c. 8. Epist. 9. l. 4.*

Athanas. orat. 1. in Arrianos.

3. *Hypoboli mæi sunt, præsertim quoad Anacleti autoritatem.*

(a) *apud Cocum, Censurâ patrum pag. 31.*

Sic presbyter q. præ alijs bibulus fuit.

Historia Lombardica cap. 8. c. 20. cap. 17. c. 39. cap. 40.

De Concordia Cathol. lib. 2. c. 34. In 6. q. 1. c. Beatus.

Gregorius de Valentia cõtradicens, frustrà allegat Patres. Nihil diversum habet Tannerus, Tom. 3. Theol. schol. Disp. 1. q. 4. Dub. IV. Cyprian l. 1. Epist. 3. Hieron. adversus Ruffin.

XXXI. Quæ *Gregorius de Valentia* objicit, ut probet; *Christi institutionem esse, ut qui Petro successurus est, atq; adeò qui est à Christo accepturus primatum* (hæc planè non sunt ἰσοδυναμοῦντα) *is alius non sit, nisi Romanus Episcopus.* 1. Nituntur falsâ Pontificum & Patrum interpretatione. Ex Pontificum enim testimoniis nihil sequitur amplius, quàm, *Ecclesiam Romanam, cum Petrus in ea sederet, habuisse ex institutione Christi primatum*, propter Petrum nempe: non, quòd primatus alibi, quàm Romæ esse nequeat. Ex patrum verò testimoniis, *Cypriani & Hieronymi*; *Ad Romanam Ecclesiam non posse perfidiam habere accessum.* Et: *fore eam permansuram immaculatam*; si quid probatur, infallibilitas, non successio Episcoporum in eo loco de jure divino probabitur, ut patet. Tum non absolutè negant hi patres defectionem hujus Ecclesiæ: sed prout tunc se gerebant plurimi in eâ Ecclesiâ, & cæteris paribus: si ita persisterent, quales sunt etiam promissiones divinæ *Joh. 14. 23. c. 15. 10. 14. Heb 3. 14. &c.* Imò Cyprianus non loquitur de Romanâ Ecclesiâ sigillatim, sed proverbio utitur: *Ad Romanos perfidiam non habere accessum*, quomodo vulgò dicitur: Romanâ fide, Germanâ fide, quibus opponitur *Græca fides*. i. e. Nusquam tuta in promissis.

Romanâ fide; proverb. Bell. l. 2. de Rom. Pont. c. 12. col. 637. D. Valent. c. 12. l. 8. §. 2. Nihil solidi cæteris opponit.

Quod autem *Gregorius* ex ratione affert: *Si solùm ex jure Ecclesiastico, ratio hæc successionis, cum Romanæ diœcesis Episcopatu conjuncta est, posset fieri ejusdem Ecclesiæ, atq; adeò ipsius etiam Pontificis autoritate, ut aliquando is, qui universalis Ecclesiæ Pastor est, non idem sit Romanæ diœcesis Episcopus, sed vel alterius diœcesis; ut cùm Petrus Antiochiæ sedebat, erat Episcopus non Romanus, sed Antiochenus; Vel etiam nullius particularis* (diœceseos) *determinatè, sicut eo tempore, quo nondum D. Petrus Antiochiæ sedebat, Cùm tamen nihilominus tunc esset Pastor universalis totius Ecclesiæ, à Christo constitutus.* Eam consequentiam non solùm concedunt Bellarminus & Suarez: sed urgent quoq; id, quod Gregorius tanquam ἄτοπον censet, *potuisse Petrum nullam sedem particularem sibi unquam eligere, potuisse semper manere Antiochiæ, & tunc Antiochenum sine dubio successisse, ideoq; rationem succedendi Romæ, non esse ex Christi institutione*, ut Gregorius ait, *sed ex Petri facto.* Similiter, quod Valentianus existimat fore impossibile: *Sin autem jure divino constitutum est, ut non alius præterquam*

Bell. l. d. col. 63. C. D. Contra disertè Sãderg de Clave Davïd l. 3. c. 2. sub fin. & c. 3. folio 56. opere DEI g.

Romanus

Romanus Pontifex, sit Petri successor, non erit in Ecclesiæ potestate hoc institutum mutare; Hoc non solùm judicat possibile Cardinalis Bellarminus, *Cap. 12. col. 638. D.* neq; solùm negat, contrariam opinionem esse de fide, & hoc patere: *quia neq; scriptura neq; traditio habet, sedem Apostolicam ita fixam esse Romæ, ut inde auferri non possit. Et omnia testimonia Pontificum & Patrum, qui dicunt, Romanam Ecclesiam non posse errare, possent exponi de Romanâ Ecclesiâ, donec in eâ Apostolica sedes permanet, non autem absolutè & simpliciter*; Sed ex hypothesi Papistarum, *quòd Roma ad Gentilismum rursus redigenda sit, postquam ab Antichristo concremata & desolata est*, necessariò transferenda est sedes, si qua est, aliò. Quando longè alia ratio erit, ac tempore *Totilæ*, quum urbs quidem potissimam partem concremabatur, & Pontifices ad tempus abesse cogebantur, sed religio tamen non planè exstirpata, nec omnis postliminii spes pontificibus præcisa erat, uti tempore Antichristi futurum, Papistæ prædicunt. Adeoq; nec Pontifex, nec titulus Romani Pontificis plus fundamenti retinebit, quàm nunc Antiochenus, aut jerosolymitanus Patriarcha, & minûs quidem.

l. 4. de Rom. Pont. c. 4. col. 812.

Ita sentiunt Bell. ipse l. alleg. col. 814. Riberæ in Apoc. 14. n. 31. 40. 56. Sixtus Sen. Bibliothec. l. tit. Meritricis magnæ inscriptio. Suarez in Thom. part. 3. Tom. 2. disp. 59. sect. 2. & multi alii apud Cornelium in Apoc. 17. v. 1. & 17.

XXXII. Obtinuimus, opinor, adeò, quod recipiebamus nos probaturos: *Non esse juris divini, nec sequi ex Papistarum hypothesibus, imò negari à plerisq; Papistis*; quòd jure divino, solus & unus Romanus Episcopus, sit Oecumenicus omnium Christianorum Doctor & Caput, unde concludimus: Non teneri de jure divino omnes Christianos, ut se professione & obedientiâ huic ficto Capiti subjiciant.

Responsio ad argumenta contraria.

IV. Responsio ad argumenta Contraria.

Properabamus hîc ad alia argumenta pro vindicandis Ecclesiis Germanicis, ab obedientiâ Romano Episcopo ut Oecumenico, & tanquam jure divino præstandâ, quando se objiciunt duæ acies: *Una*, quæ manifestis scripturæ dictis, Romani Episcopi successionem in Episcopam, si quæ est, Oecumenicam, se evicturam jactat; *Altera* nec dicta scripturæ, nec legitimam & puram ex iis consequentiam obvertens, nihilominus jus quoddam divinum fingit, antiquos rationis terminos planè summovendo, Quibus utiq; fuit occurrendum.

I. Ac initio quidem, quando neminem ex hyperaſpiſtis Romanæ ſedis, ad teſtimonia S. ſcripturæ, in hâc cauſſâ appellare diximus, ea teſtimonia intellexim̃us, quæ vel ipſi ſeriò voluerint ad hoc negocium afferre, vel ſeriò adducta eſſe, quiſquam ſanæ mentis judicare potuerit. Nunquam enim crediderim, *Nicolaum Sanderum*, Virum alioquin non ſtupidum, tàm fuiſſe ab omni judicio relictum, ut ſecum ſentiret: Vaticinium Jeſaiæ Cap. 2. *Erit in noviſſimus diebus præparatus mons Domini, in vertice montium, & elevabitur ſuper colles, & fluent ad eum omnes gentes*, quicquam facere ad ſedem Oecumenicam in urbe Romanâ figendã; præterquam enim, quòd Romana Eccleſia potuerit elevari ſuper omnes Eccleſias, juxta Prophetiam hanc, etiamſi Romani Pontifices non divino, ſaltem Eccleſiaſtico jure Petro ſucceſſerint in Univerſali Epiſcopâ; Quis Unquã, obſecro, tàm fatuus fuit aut temerarius, qui ex hoc dicto primatum Romæ, ceu ex jure divino debitum, aſſereret? *De ſtatu Sionis, tempore Meſſiæ, & gloriâ Jeroſolymorum ſub initium Novi Teſtamenti*, hîc ſermonem eſſe, *verſus ſequens tertius*, etiam Tireſiæ allucet. Ita interpretantur, *Caſtro, Sanchez & Eſtius*, hîc. Et *Cornelius*, *quosdam Catholicos de terrenâ gloriâ Sionis Montis, intelligere refert*; *Cyprianum* (ſed falſò) *& Gregorium, de Virgine Mariâ*; *Hieronymum, Baſilium, Rupertum, de Chriſto*; alios deniq;, ut *Cyrillum & Euſebium, de Eccleſiâ*, non particulari Romanâ: ſed Catholicâ & *diſperſâ inter gentes*, quod & textus exigit. Si ita licebit, quicquid ἐξοχὴν Eccleſiæ, ad ſynagogam comparatæ, declarat, pro Romanâ particulari Eccleſiâ vendicare. Ego pari jure, quicquid *de caſu Luciferi, de internecione Leviathan*, apud eundem Prophetam exſtat, ad Romani Pontificis ſtragem accommodabo, non infeliciore argumentandi genio. Taceo, quòd *Sanderus* hunc primatum *non tàm ad Eccleſiam, quàm ad urbem Romanam* refert, eamq; *verticem aliarum urbium & Monarchiarum* vocat, factâ cum Chaldæorum, Perſarum & Græcorum Monarchiâ, comparatione, ac ſi reſidentiam Monarchæ in aliquâ urbe, ſequi oporteret reſidentia Pontificis ἀνυπευθύνως, quò etiam provocat, *opere DEI nono fol. 56.* Cujus conſequentiæ mucoſa ineptitudo, non ſolùm ſanâ ratione, ſed & univerſæ ſcripturæ & hiſto-

Vaticinium Jeſaiæ c. 2. v. 2. ineptiſſimum, ad Eccleſiæ Romanæ primatum.

Jeſ. 14. 12. *&* 27. 1. *ſeq.*

Nuſquã minùs pietatis vel religionis eſt, quàm in iis hominibꝰ,

historiarum testimoniis discutitur. Nihil enim minùs, quàm primatus Ecclesiæ, fuit in sedibus illis Monarchicis, quod non eget demonstratione; Sanderus helleboro indiget, qui dicto Prophetæ, ad prærogativam *ex loco* probandam abutitur, cùm *aliàs* mordicus *neget, Ecclesiam Romanam accepisse aliquam dignitatem ab eminentiâ Civili inter urbes*; negent Papistæ pleriq;, *dignitatem sedũ patriarchalium ortum duxisse à civili inter reliquas urbes præeminentiâ*, quod tamẽ *Lorino* ingenuè fatetur, concedit *Baronii Epitomator &c.*

II. Cætera Sanderi commenta, quæ ille *opera DEI* vocat, *circa instituendum Ecclesiæ Romanæ primatum*, ut quod (2.) *Petrus, nec alius quivis ex Christi discipulis Romam missus sit*, quòd (3.) *Paulus Romam missus sit post Petrum, ut testificaretur de ejus primatu, ex Act. 22. & 23. & ne hujus novæ Metropolis fundamentum per alium jacerentur, quàm per Petrum, qui in comparatione Pauli erat oliva, Paulus verò insertus oleaster*; Quòd (4) *Simonem Magum, qui se DEUM Romæ jactaverat, illic, & non alibi prostraverit, ut demonstraret, se, verum principem, in locum hujus Magi successurum, & Romæ quidem*; Quòd (5) *Petro ob periculum à Nerone, Româ egressuro Christus obviam factus, retulerit; se ire Romã crucifigi, unde Petrus concluserit; se oportere Romæ manere*; Cui relationi quantum habendum sit fidei, supra Bellarminum censentem audivimus. Quòd (6) *Petrus, sumtâ manu Clementis, ipsum Romæ post se Episcopum ordinaverit, teste Clemente ipso in Epist. 1. Et Damaso in pontificiali, & Tertulliano de præscript.* (videatur series Romanorũ Pontificum, & ringens Bellarm l.2. de R.P.c.5.) Noto solùm hîc, quod Sanderus ait hoc sexto opere: *Petrum fuisse illud fundamentũ, supra quod reliqua Christi Ecclesia, & ipse Paulus ædificabatur.* Gal. 2.6. c.11. Quòd (7) *Petrus & Paulus Romæ simul sint mortui, ne si alibi mortui essent, Ecclesiæ istæ, in qua quisq; seorsum vitâ functus erat, de primatu cum Româ litigarent, cùm nunc, extra controversiam, Roma immobilis petra sit, quæ alio ab hominibus transferri non possit.* Quòd (8) *Petrus capite ad terram verso, crucifixus sit, atq; ita velut arbor inversa, in cruce ramos suos extenderit, Contra autem Paulus ense necatus, in partes dissectus, atq; ità minutus sit, ut compleretur in Petro & Paulo, quod de Christo & se Baptista dixerat; Eum oportet crescere, me verò minui.* Joh. 3. Quòd (9) *Etsi Petrus & Paulus nunquam Romæ fuissent, Damasi Pont. supposititium. Baron. Tom. 4. ad ann. 384. n. 15. Bell. descriptorib. Anno 367. Joh. 3. 30. Et confer fundamentum successionis in primatu apud Bellarm. & Suarez.*

qui Romæ viciniores habitant. Machiav. de Rep. l. 1. c. 12. Bernardus Epist. 176. 178. De Monarchiâ l. 1. c. 12. De clave Dabid l. 5. c. 7. Baron. ad ãn Christi 39. & Tom. 6. ad ann. 451. num. 133. Lorinus in Act. 11. fol. 378. 379. seq. Spondanus ad ann. 39. n. ult. Act. 22. 21. cap. 23. 11. Confer Rom. 15. 20. l. 4. de R. Põt. c. 4. sub fin. Non sũt de fide Pontificum narrationes. Clementis Epistolæ supposititicæ. Baron. Tom. 2. annot. 102. num. 6. 2. Cardinal. Cusan9. Cõcord. l. 3. c. 2. Sixt9 Sen. Bibliot. l. 2. C.

Ecclesia Romana quanquam non talem ac tantum, tamen verum aliquem primatum, non solùm ex prærogativâ loci: verùm etiam etiam ex alio dono & vocatione ipsius DEI sortita esset. Romano enim Episcopo, eo ipso, quòd Romanam Ecclesiam administrare jubetur, mandatur, ut cum totius infidelitatis capite, urbe Româ, cumq. ipso Rege Babylonis, Romano Imperatore, in virtute Christi manus conferat. DEI autem judicio, præcipuus est Episcopatus, cui præcipua Satanæ potestas oppugnanda & vincenda committitur. Quòd (10) Romani Pontifices præcipui martyres fuerint, quod certum signum alicujus Ecclesiastici primatûs sit. Quòd (11) Romani Pontifices Cæsares ad fidem converterint, quæ prærogativa effecti operis, facilè demonstret Ministri efficientis prærogativam. Dignissimus igitur omnium Episcoporum, Romanus. Hæc, inquam, Sanderi commenta neque habeo pro dictis scripturæ, nec refuto, cùm in aprico sit eorum miseria, nec tandem probent successionem de jure divino, sed solùm primatum velint evincere; Quàm fortiter, judicet, quisquis sanæ mentis est.

Bozius de signis Ecclesiæ, lib. 3. c. 18. Ludificatur Catholicos, corruptione verborum 2. pet. 1, 15.

III. *Thomam Bozium*, aut dicis gratiâ quidpiam afferre, aut conatus saltem suos Romanæ sedi probare voluisse existimo, quando disputat: solum Romanum & non alium Episcopum oportuisse esse Oecumenicum, *quia Petrus promiserit, se daturum operam, ut frequenter habeant fideles, post obitum ipsius, quorum memoriam faciant.* Primum argumentum promit ex vers. 12. ubi dicitur: *propter quod incipiam vos commonere de his; Quomodo incipiet post mortem*, inquit, *nisi successorem habeat?* Optimè! *Igitur is, qui fideles omnes* (ad hos enim scribebat Apostolus) *ita admoniturus est post mortem Petri, ut Petrus dici possit admonuisse, non est alius quàm Romanus Pontifex. Igitur jure divino succedit Petro, non Ecclesiastico.* Cornucopiæ! Sed ignoverit nobis Italus, quòd ex nostris Bibliis illud *incipere* non legamus; in authentico est: Διὸ ὃν ἀμελήσω ὑμᾶς ἀεὶ ὑπομνήσειν περὶ τούτων. Quod faciebat Apostolus hâc epistolâ, quam admonitionis gratiâ ad illos perscribebat, *cap. 3, 1.* Uti Paulus *ad Phil. 4, 1. Eadem sæpius scribebat*, quò penitiùs intelligerentur. Deinde nobis non licet esse tàm acutis, ut perspiciamus, quomodo, qui vice Petri fideles admonet, non possit esse, nisi Romanus Episcopus.

Ineptum est, eum, qui in vicem Petri fideles admonet, oportere esse Rom. Episcopum.

Christus

Christus admonet per Apostolos, ut legatos suos, 2. Cor. 5. v. 20. Papa admonet per nuncios suos; Igitur Apostoli omnes sunt successores CHRISTI in universali regimine, Nuncii Apostolici successores Papæ in Romanâ sede? Si ita est, bonum opus desiderat, qui nuncius Apostolicus esse ambit. Deniqve causam Romanæ sedis negligenter tractarunt, qui hæc Apostoli verba sæpè hactenus expendentes, de successore Petri, Romano Pontifice, hîc tam evidenter agi non adverterunt. Pro *intercessione Mortuorum* hoc quidem loco plæriq; Papistarum pugnant, Eam *recordationem, quam Petrus dicit habituros fore suos auditores*, ad Petrum transferentes, ac si dictum foret: *Ego post obitum recordabor vestri*, quod pueri nostri exsibilant; Et *Bellarminus* subrubens, *argumentum non evidens, sed probabile* vocat, *Estius*: *Infirmum.* Verùm qui tàm perspicax fuerit, ut successionem Romani Episcopi in Oecumenicam Petri curam, de jure divino, hinc probaret, vidi equidem nullum. Nimirum, vel prudentiâ saltem *Eugubium Romam superat.*

Reliquorũ Papistarum inadvertentia.

Cornelius hîc prolixè & Lorinus. Bell. lib. 1. de sanct. Beat. c. 18. col. 739 Estius comment. h. l. Præsidium Bozii in verbis Phil. 4, 3.

IV. Petro, Eugubinus Paulum succenturiat, ut ex ore duorum perspecta fiat hæc veritas. Quid verò ais Paule: *Etiam rogo TE, Germane compar, adjuva illos, qui mecum laboraverunt in Evangelio, cum Clemente & cæteris adjutoribus meis.* Bozius; *hîc Clemens sine dubio fuit Episcopus, alioquin non vocaret eum Paulus* Συνεργὸν. At non verum, solos Episcopos vocari συνεργοὺς. *Prisca & Aquila συνεργοὶ Pauli*, igitur Episcopi? *Urbanus συνεργὸς Pauli*, igitur Episcopus? *Hæ mulieres, Evodia & Syntyche συνήθλησαν* Paulo, quod magis est, quàm συνεργεῖν, igitur Episcopæ? Non generabat tellus eo tempore Joannas Papissas. *At hic Clemens est ille, qui post Cletum fuit Romanus Episcopus.* Sine dubio. *Hieronymus dixit.* Advocatus: *Hieronymi verba non sunt prorsus vera*, ait Sixtus Senensis. *Hieronymus deceptus est*; inquit Bellarminus. *Hieronymus sibi non constat*, censet idem. At ego hoc non concedo, Hieronymum falsum dicere; Sed nego sequi; Clementem idcò jure divino esse Oecumenicum, quia Paulus eum allegavit; Nec enim ex verbis Pauli constat, num roget Clementem, ut is unà mulieres istas adjuvet, an verò testimonium solùm det Clementi, quòd se juverit, unà cum Evodia & Syntyche. Posteriorem

Rom. 16, 3. Et v. 9.

Sixtus Sen. lib. 8. Biblioth. hæresi 11. Bell. lib. 3. de Eccles. milit. c. 16. col. 155. idē lib. 1. de Clericis c. 15 col. 272.

riorem interpretationem, quâ regulariter, Nomen ad proximè præcedens verbum refertur, afferunt *Card. Cajetanus, Bened. Justinianus, & Lyra* hîc. Imò si *Cornelii* collectio valet, *quòd per σύζυγον, qui juvare rogatur illas mulieres, non possit Epaphroditus intelligi*, ex hac ratione; *quia non Philippis: sed Romæ apud Paulum erat*, patet; quòd ex eâdem ratione, Clemens, qui Romæ erat, non rogatus sit juvare illas mulieres; sed pro eo rogatus sit σύζυγος, ut ipsum adjuvaret. Notabilis verò est hæc consequentia: Qui Episcopus rogatur, ut Româ succurrat iis, qui Philippis sunt, ille sine dubio est Oecumenicus, & quidem jure divino.

Cornel. hic fol. 602. D.

II. *Consequentias.*

V. *Altera phalanx* est Eorum, qui nec manifestis scripturæ dictis, nec legitimis consequentiis, successioni Romani Episcopi in Oecumenicam Episcopam jus divinum vendicant, sed ipsi jus quoddam fingunt, quod ajunt esse divinum.

Gersonis quatuor gradus juris divini. In l. de vita Spirit. animæ, lect. 2.

Viam præivit GERSON, qui legi purè divinæ quatuor gradus assignavit, ut *Primus sit legum in sacrâ scripturâ expressè positarum pro totâ Ecclesiâ; Secundus earum, quæ ex his evidenti consequentiâ deducuntur. Tertius earum, quæ solâ traditione legitimâ habentur. Quartus earum, quæ specialiter â DEO privatis inspirantur.* In Tertio horum graduum collocat articulum *de Romano Papatu Oecumenico.* Sed

Marco Ant. de Dominis l. 4. de Rep. c. 7. n. 7. Gerson l. quo supra, lect. 4. coroll. 19.

I. Hoc non fuisse seriò â Gersone dictum, supra *Cajetanum* judicem auscultavimus; Et fuisse has Gersonis hypotheses, quod pacis causâ liceat vulgatis erroribus non repugnare, *Dalmatiæ Primas, & Spalatensis ArchiEpiscopus* ex his ejus verbis colligit: *Poterit fieri, ut absq; peccato mortali; Imò cum merito magno, sit aliquis Theologus, vel alius prudens, qui dissentiat corde ab humanis determinationibus, aut traditionibus: qui tamen obligabitur, propter evitationem scandali, vel aliter, non repugnare exterius; nam potest aliquarum publicatio veritatum prohiberi, & aliquarum falsitatum dogmatizatio permitti.*

Jus divinum quid? Augustinus tract. 6. in Joh. c. Quo jure Dist. 8.

2. *Jus divinum* in decreto Gratiani ita definitur ex Augustino: *Jus divinum in scripturis habemus.* Quod autem in scripturis est, vel expressè; vel virtualiter inest. At neutro modo inesse, concedit Gerson. Nullo modo igitur juris divini est, Romanum Episcopum esse Oecumenicum. Nam quod Gerson ait, etiam

hoc

hoc dici juris divini esse, *quod divinus Spiritus per Ecclesiam dictat, etsi, nec evidenter, nec per consequentiam scripturis insit; Primò* petit principium, cùm DEUS nihil quidem ad fidem pertinens, Ecclesiæ inspiret, quod non sit materialiter in scripturis *Gal. 1. 7. 1. Cor. 4. 6. Deinde* nulla est Ecclesia, quæ hoc dicat, quá Ecclesia; Quòd solus Romanus Pontifex sit de jure divino Oecumenicus. Et *Tertiò* est contra communem loquendi usum, ut dicatur juris divini, quod nec evidenter, nec consequenter scripturis inest. Traditio enim, utcunq; à Spiritu Sancto inspirata, semper juri divino contradistinguitur; ideò Bellarminus excipit, *Non omne, quod est de fide, esse juris divini*, quod non diceret, si traditiones ad jus divinum referret; Nihil enim est de fide, etiam ex Papistarum hypothesi, quod non in scripturis, aut traditione comprehensum.

l2. de R. P. c. 12. col. 636. B.

VI. De gradibus juris divini, *Canus, Bellarminus & Tannerus*, nihil quidem, quod legerim, meminerunt, sed ex præmissis non juris divini, consequentiam tamen quæ juris divini sit, obtrudere nobis conantur. Quanquam enim omnes fluctuent, concedant etiam, *Canus & Bellarminus*; *Non esse juris divini, ut Romanus Episcopus & non alius succedat in Oecumenicatu*; quia tamen funestum illud consequens vident, quod Gerson ostenderat, *Nisi sit lex purè divina, posset primatus ille humanâ traditione cassari*, sudant, si quá vacillantem Babylonem fulcire queant. Hic verò gurges sudorum est, quem Canus aperit: *Non illud modò ad doctrinam Catholicam pertinere, quod Apostolis expressè revelatum est, verùm etiam hoc, quod ex alterâ propositione revelatâ, & alterâ certâ in lumine naturali, syllogismo collectioneq; evidenti conficitur, ut: Christum esse verum hominem est propositio scripturæ; addo Majorem, omnis verus homo potest ridere; Conclusio quòd Christus potuerit ridere; est in jure divino vera.* Ita Canus. Recipimus. Accommodate! *Bellarminus:*

Cani Consequentia.

l. 6. LL. c. ult. pag. 338.

Debet Petro jure divino aliquis succedere.
Ille non potest esse alius, quam Pontifex Romanus.
Igitur, ille succedit.

Bellarmini Syllogismus. l 2. de R. P. c. 12 col. 634. A.

Tannerus, *Autoritatem Petri, & potestatem singularem regendi*
Ecclesiam universam, eamq; & infallibilem, & ordinariam, ac perpetuò in
Tanneri Tom. 3. Theol. Schol. Disp. 1. q. 4. Dub. 3. n. 147. *Ecclesia permanentem, atq; ad Petri quoq; successores spectantem, permansisse solùm in Ecclesia & Cathedra Romana, ejusq; Rectoribus ac Episcopis Romanis, utpote legitimis Petri Apostoli post mortem successoribus, hoc syllogismo demonstramus:*

Infallibilis Petri potestas, & autoritas regendi universam Ecclesiam, fuit ordinaria, ac in Ecclesia permanens, adeoq; non in solo Petro: sed & in ejus post mortem legitimis successoribus, perpetuò ad finem usq; mundi perdurans.

Sed nulli alii præter Romanos Pontifices fuerunt Petri post ejus mortem legitimi successores.

Ergo potestas illa, & autoritas infallibilis Petri regendi universam Christi Ecclesiam perdurat ac permanet usq; ad finem mundi in Pontificibus Romanis.

Laborant formâ & materiâ.

In his pseudosyllogismis etsi major propositio vera, & juris divini esset, qualis nunquam demonstrabitur esse, collectio tamen vitiosa est, & concluditur. 1. Ex puris particularibus, quod etsi Tannerus occultare conetur, & indefinitè omnes Petri successores vocet: Major tamen particularis manet, & uno tempore, unus Petri successor subjectum est Syllogismi: sive enim dicã, uti Bellarminus proponit: *Unus debet jure divino succedere Petro*, sive ut Tannerus: *Autoritas Petri est successibilis Uni*; & subsumam; At nemo alius, seu, solus Romanus Pontifex successit. Igitur jure divino solus succedere debuit; Unus successor, seu plures successores manent subjectum Majoris, quæ per hoc particularis est, sub quâ de certò individuo subsũere nõ licet. Secq; si Petri potestas in Tanneri Syllogismo, subjectũ est Majoris; Minor & Conclusio in secundâ figurâ sunt affirmative, quod ἄλογον. Nihil autẽ magis hîc concludetur, ex conditione materiæ, quàm successisse unum, quia oportuit succedere unum; Sed quòd ille ipse unus, seu illud individuum, fuerit id, quod de jure divino debebat, non solùm quoad unitatem succedere: sed etiam quoad intentum à DEO individuum; hoc non sequitur. Si unus Constantinopolitanus succedat, satisfit ei propositioni Majori, ac proinde ad solũ Romanum, quòd is jure successerit, etiamsi successisset, non sequitur. 2. Eadem ratio est, si pro certo loco concludas hoc modo: *in uno loco oportet succedi Petro. At tantùm Romæ succeditur,*

igitur Roma est locus ille, in quo solo oportet succedi; Quanquam & Major & Minor falsa sit, forma tamen non valet; quia potuit succedi Romæ, ut in uno loco, etiamsi non successum sit de jure divino in hoc specificè loco. Unitas loci sequitur ex propositione majore: sed conditio & specificatio hujus, non sequitur. Si Eugubij successum fuisset aut Arelate, fuisset in uno quidem loco successum: sed non ideò in eo loco, in quo jure divino oportebat. *Syllogismus affirmatus in 2. figura*

Manet adeò quòd etiamsi Oecumenico unus succedere debuerit, unus etiam successerit, non tamen sequatur, quòd ille unus is fuerit, qui jure divino esse debebat: sed quòd solùm evidentia facti inde probetur. De facto verò nunc non quærimus, sed de jure divino.

VII. Hoc tamen fateor, si hæc propositio juris divini esse comprobetur, cum his Modalibus & Exclusivis: *Necessarium est de jure divino, ut tantùm unus, unius tantùm & semper ejusdem loci, in quo Petrus mortuus est, Episcopus, Petro succedat in Oecumenico Episcopatu usq; ad finem mundi*; Et subsumatur: At unus tantùm Episcopus est, unius tantùm & semper ejus loci, in quo Petrus mortuus est, qui successit Petro in Oecumenicæ Episcopatu, tùm, ex conditione materiæ, seu connexione rei cum re, etsi non ratione formæ, videri sequi: Igitur iste unus, qui unus tantùm, & unius, ac semper ejus loci Episcopus, in quo Petrus mortuus est, est ille ipse, quem necessarium erat de jure divino succedere. Necessitas enim *Oecumenici* de jure divino, cogit esse omni tempore aliquem Oecumenicum, Necessitas *unius*, excludit plures; necessitas *perpetua in uno & semper eodem loco*, excludit dubitationem de certo loco. Necessitas *ejus loci, in quo Petrus mortuus est*, excludit dubitationem, an unus, & semper idem ille locus, possit esse Constantinopolis aut Eugubium. Atq; ita, præsuppositâ necessitate unius tantùm, & in eodem semper loco tantùm, in quo Petrus mortuus est, deveniretur tandem ad Romanum Episcopum. Verum antequam talis Oecumenicatus, qualem Papistæ definiunt, & necessitas successionis in tali, numerica unitas successoris, unitas & identitas loci, in quo succeditur, & necessitas ejus loci, in quo Petrus mortuus est, ex jure divino probentur, *Quæ hypotheses oporteat Papistas probare, in jure divino, non solùm relatas, sed & constitutas esse?*

noviſsima tuba receptui canet. Nobis hîc propoſitum non eſt, hypotheſes illas nunc diruere, ſed ſolùm proximæ hypotheſeos, ex quâ ceu adæquato principio, concluſio ſequi debebat, cum tali concluſione connexionem negare, *quòd omnis & ſolus Romanus Epiſcopus ſit de jure divino omnium Chriſtianorum Caput & Doctor.*

Hypotheſis de morte Petri in urbe Roma juris divini non eſt, nec firma. Sanderus de clave Davidl. 3. c. 2. ſub fin.

IIX. Pro colophone, quia tota moles argumentorum, quæ pro Romani Pontificis, quà Romani, Oecumenicatu excogitari poſſunt, tandem devolvitur ad locum mortis, in quo Petrus Epiſcopus defunctus eſt, quantum ſoliditatis huic hypotheſi inſit, addam ex *Sandero*, ut conſtet, quia hypotheſis hæc à Papiſtis deſeritur, eam juris divini eſſe non poſſe; Sic autem Sanderus? *Sed quid, ſi eis daremus, Petrum nunquam ſediſſe Romæ, an propterea Pontifex Romanus Petri ſucceſſor eſſe non poteſt? Quemadmodũ enim licet Chriſtus Romæ, dum in terris ageret, non fuit: tamen Vicariũ Chriſti Romæ ſedere credimus. Eodẽ etiã modo potuit ſucceſſor Petri ſediſſe Romæ, quanquã Petrus ipſe illic non ſediſſet. Talis enim & tam neceſſaria erat Petri poteſtas in omnes Chriſti agnos atq; oves, ut ubicunq; ſediſſet, ſucceſſorẽ aliquẽ omnino habere debuerit. Sive is* (ſucceſſor) *Romæ, ſive alibi ſedem eligeret. Sic autem divinitus* (atteſtante *Ambroſio*) *comparatum eſt, ut is Romæ ſedem collocaret. Quod ita factum fuiſſe in Monarchia ſatis ſuperq; demonſtravimus. Non ergo Romani Pontificis primatum id tollit, etiamſi verũ eſſet, quod iſte* (Aclerus) *ex ſuis indoctiſſimis Magiſtris hauſit, Romæ. videlicet nunquam ſediſſe Petrum.* Senſus apertus eſt, Quomodo non licet cõcludere, Petrus non ſedet in eo loco, in quo deceſſor ejus, Chriſtus ſedit, Jeroſolymis nempe, Igitur non eſt Oecumenicus, ita non ſequi, tametſi Romanus Pontifex non ſedeat in eo loco, in quo Petrus ſedit, ideò non eſſe eum Oecumenicum. Nunc verò Petrum ſedem collocâſſe Romæ (pro ſe & ſucceſſoribus) ideò ex fixâ Romæ ſede, non ex occupatâ illâ ſede, aut loco mortis argumentum ſumi. Bonum factum! Conſentit Bellarminus: *Reſpondeo ex dictis, non ideò Romæ eſſe ſedem Pontificalem, quia Petrus Romæ obiit: ſed quia Romanus Epiſcopus fuit, nec ſedem ex Româ unquam aliò transtulit.*

In orat. de Baſilicis trad. Rom. Epiſt. 32.

Bell. in Reſp. ad argumẽta Calvini, l. 2. de R. P. c. 12. ad 2.

IX. At contra *Suarez* cùm deveniſſet ad hunc labyrinthũ, *Addunt*, inquit, *nonnulli Catholici* (& citat in margine *Sander. lib. 2. de clave David cap. 6.* Saltem in numeris aberrando) *Licet hæreticũ daremus, Petrum non fuiſſe Romæ, nihilominus potuiſſe Pontificem Romanum eſſe ſucceſſorem Petri; Nam potuit Petrus alibi exiſtens aut ſedens, vel Romæ vel alibi ſucceſſorem ſibi diligere. Quod quidem verè dictum eſt, & ex abundantiâ ad confuſionem hæreticorum, procedit tamen SOLUM DE POSSIBILI, SEU DE POTESTATE, UT AUTEM DE FACTO CONSTET, multum refert, quòd Petrus Epiſcopus Romanus fuerit USQ; AD MORTEM. Nam ſi Petrus alibi ſedem habuiſſet uſque ad mortem; Ut Romanus Epiſcopus in Pontificiâ ſede illi ſuccederet, oporteret illam inſtitutionem oſtendere ex peculiari Petri ordinatione, QUÆ REVERA NON EXSTITIT, quia non alibi: ſed in Romanâ ſede & urbe mortuus eſt. Quo poſito non fuit neceſſaria nova inſtitutio, aut voluntas Petri; NAM EX NATURA REI, ſuppoſitâ priore inſtitutione divinâ, qui in Romanâ ſede Petro ſuccedit, primatum ejus conſecutus eſt, & ita per ſucceßionem ad reliquos Romanos Pontifices derivatus eſt.*

Cõtradicit Suarez. Defenſ. fidei Cathol. lib. 3. c. 13. num. 10.

X. Potuiſſe Romanum Epiſcopum eſſe Petri ſucceſſorem (ſuppoſitâ priori inſtitutione divinâ, quòd oporteat ad finem mundi eſſe aliquis Oecumenicus) etſi Petrus Romæ nunquam fuerit, concedo. Sed oportere ad hoc peculiarem quandam Petri inſtitutionem oſtendere; concedo. Ejuſmodi inſtitutionem revera non exſtitiſſe, concedo. Ordinariè & in loco mortis prioris Oecumenici, non interveniente aliâ ordinatione, ſuccedere in Oecumenicatum, Eum, qui loci Epiſcopus eſt, non concedo. Rationem dat *Sanderus*: *Quia Chriſtus Petri deceſſor, Romæ non fuit*, & tamen Petrus Romæ ſucceſsit; Ac Jacobus, qui Hieroſolymis, ubi Chriſtus, (quem hîc neceſſum eſt conſiderari, ut caput viſibile, aliàs Sanderi connexio inter Chriſtum & Petrum nulla eſt) ſedebat, ſucceſsit, non tamen ordinariè ſucceſsit in Pontificatu Oecumenico. *At hîc peculiaris Chriſti & Petri inſtitutio intercеßit*, juxta Sanderum; *ejuſmodi ordinatio revera non exſtitit*, reſpondet *Suarez*. Reſpondet *Bellarminus* ad verba illa Ambroſii de tradendis Baſilicis: *dicet aliquis, ex hoc argumento videtur*

Ultrò in rem noſtrã.

lib. 4. de Rom. Pont.

cap. 4. col. 814. A.

to videtur probari, de fide esse, quòd sedes ex Româ transferri non possit. Nam de fide est, præcepta divina non posse ab hominibus immutari, si ergo Deus iussit, sedem Romæ constitui, de fide esse videtur, non posse aliò transferri. Respondeo, id non sequi, nam Marcellus & Leo Pontifices, non definiunt hanc rem tanquam de fide: sed narrant ut historiam. Non sunt autem de fide Pontificum narrationes, sed solum decreta. Quod supra allatum, hîc oportuit repeti, ut appararent cubi, quibus Romanæ res consistunt.

Nec locus mortis Petri quicquā pro Romano Pontifice facit, nec ordinatio exstat, quo is Petri successor designatus sit, fatentibus Papistis.

Aut ideò succedit solus Romanus Episcopus in Oecumenico Episcopatu, quia oportebat ex naturâ rei eum, qui in loco mortis Petri succedit, succedere quoq; in Oecumenicatu; Aut succedit ex peculiari quadam Christi & Petri institutione. Non ordinariè ex loco mortis, aliàs Petrum jerosolymis oportuisset Christo succedere, aut Jacobus, qui Hierosolymorum Episcopus ordinabatur, fuit Oecumenicus. Hæc Sanderi collectio. Non ex peculiari quâdam institutione Petri, quia talis revera non exstitit. Est Suarezij argumentum. Non ex peculiari institutione Christi, quia hoc, quòd Christus Petri obviam factus dixerit, vado Romam crucifigi, narrant solùm Pontifices, non decernunt credendum, est Bellarmini responsio. Concludite.

Inepta collectio ex verbis Ambrosii lib. 6. Monarch. c. 10. lib. 3. de clave David cap. 3. op. 5. Coccij Thes. Tom. 1. f. 819

XI. Collectionis ex Ambrosij verbis, pro quâ tantopere *Sanderus* arietat, miseret me, concludite obsecro; Christus dixit Petro; vado Romam crucifigi, inde collegit Petrus, se oportere Romæ crucifigi. Igitur sedes Petri Romæ figi debuit. *Bellarmi*nus; (a) *manifestum est signum, Deum voluisse per mortem Petri Romæ firmari eius sedem.* Alibi; *quid autem significare voluit Dominus cùm ait; in Petri crucifixione se iterum crucifigi, nisi Petrum suum esse Vicarium, & quod Petro fit, sibi ipsi fieri, sic enim antea Samueli dixerat 1. Reg. 8. Non TE abiecerunt sed me, ne regnem super eos.* O sensus Cardinalitij profundos! Apostolus; *peccantes in fratres, in Christum peccatis.* Quid hoc aliud significat, quàm omnes fratres esse Christi vicarios? *Ego stigmata Christi fero in corpore meo.* Igitur non minus sum Christi vicarius, quàm Petrus. Franciscе Iesu typice potuistine tam insignem sufferre iniuriam, ut innocentius III. sede Apostolicâ te arceret, tametsi stigmata tua nõ agnosceret solùm, sed & decreto approbaret? Pius ille Ambrosius non fuit tam perspicax, ut

(a) *uti supra col. 813. D.*

lib. 1. de R. P. c. 23. sub fin.

1. Cor. 8, 12. Gal. 6, 17.

ut ex hac apparitione quicquam magis conjiceret; quàm hoc: *Intellexit Petrus ad suam crucem divinum pertinere responsum.* Nempe cùm Christus per suam crucem Hierosolymis sedem suam non firmâsset, dubitabat, num Petri crux futura esset efficacior, & loco plus characterum impressura. Dent Papistæ jota ex Ambrosio, quo vel leviter probetur, perpetuitas successionis in illâ sede. *Interrogantibus Christianis*, quid sibi vellet iste Petri reditus? *Responsum reddidit, quòd Christus iterum crucifigendus erat in servulo, statimq; correptus per crucem suam honorificavit Dominum.* De perpetuitate sedis, ne verbum, quod tamen inprimis hîc oportebat, quando ultima Petri voluntas exponenda erat, expressisse, si quid veri subesset. Nisi hoc sufficeret, elevarem universam *epistolæ hujus 32.* quæ sub Ambrosii nomine fertur, autoritatem, eodem jure, quo *Bellarminus* (a) *Episcopus Esspencæus* (b) *Possevinus* (c) *epistolas 82, 84, 85. & plurimos ejus sermones rejecerunt.*

Orat. contra Auxent. lib. 5. epist. apud Bell. lib. 2. c. 3. de R. P. c. 3. col. 612. D. Verba Ambrosii.

(a) *De scriptorib. p. 95. 96.* (b) *comment. in 2. ad Tim. p. 269.* (c) *in apparatu, verbo Ambrosius.*

Propositio Secunda:

Etiamsi Romanus Pontifex de jure divino caput Oecumenicum esset, non tamen tenerentur jure divino omnes Christiani ipsi obedire.

Probatur *primò* ex institutione Oecumenici (disputando hypotheticè) Quantum juris Petro collatum est, tantùm & non ampliùs in successores Petri manavit, jus universi pastoratus Petro collatum non fuit nisi concessivum, ex quo ipsi quidem licebat omnes Christianos pascere, nequaquam verò omnes Christiani astringebantur, ut ipsi se ad hunc Petri pastoratum præ aliis reciperent, probo: Ubi est eadem mensura instructionis, est quoq; par mensura potestatis. In Petro & reliquis Apostolis par mensura instructionis, Eadem enim emphasis est mandati, *Ite, docete omnes gentes. Sicut misit me Pater, ita ego mitto VOS, quàm; Pasce oves meas.* Bellarminus ex Cypriano: *Vides idem dari Apostolis per illa verba, Ego mitto vos, quod Petro fuerat promissum per illud: Tibi dabo claves, & postea exhibitum per illud; Pasce oves meas.* Consentiunt *Barradius & Card. Toletus* hîc. At Apostolo uni, præ alio obedire, sive quoad fidem, sive quoad mores, non solùm non præceptum, sed & *prohibitum est* 1. *Cor.* 1, 12. *c.* 3, 4. quod Apostoli interdictum injustum esset, si subesset in Cephâ quædam ἐξοχὴ, aut in Christianis major obligatio adhærendi Cephæ, quàm cæteris Apostolis. Imò *Paulo aliquando, contra Petrum fuit obeditum ab Antiochenis.* Quod igitur valuit in prædecessoribus, valet in successoribus, & sufficit, si quisq; Christianorum, *suo Episcopo, suo Præposito*, qui non minùs Petri & Apostolo-

Matth. 28, 19, 20. Ioh. 20, 21. Cyprian. de Unit. Eccl. lib. 4. de R. P. c. 13. col. 881. Barrad. Tom. 4. lib. 8. c. 15. §. 2. Toletus in Comment. v. 21. & Annot. 17. Gal. 2, 11.

Apostolorum successor est, quàm Romanus Episcopus (a) obediat, eiq; communione externâ adhæreat, de quâ nunc disputamus. Nam quod de *Petri potestate ordinariâ, Apostolorum extraordinariâ*, Cajetanus, Bellarminus, Sanderus, Suarez cõmenti sunt, gratis dictũ, & ab Archiep. Spalatensi penitùs conculcatũ est, De Rep. lib. 1. c. 3. n. 29, 30. *Secundò.* Nullũ paritionis mandatum, quod est de jure divino, est ab ipso Papa mutabile. *Nam de fide est, præcepta divina non posse ab hominibus immutari,* dicebat supra Bellar. quod magnâ vehementiâ exaggerat lib. 3. de R. P. c. 19. & 20. Obedientia ab omnib. Christianis Romano Episcopo præstanda est mutabilis. Nam quod Bonifacius IIX. supra *dixerat esse de necessitate salutis*, ad eam subjectionem, Clemens pp. V. Regnum & Regem Galliarũ non pertinere decrevit, *tàm quantum ad Ecclesiam, quàm ad Regem & regnicolas*: neq; hoc capitulũ ab *indice Expurgatorio* quicquã reformationis passum, sed glossa solùm aliqua, *ad cap. Romani, in Clem. de jurejurando*, quæ præter rem textui addita erat, & obiter hujus capituli mentionem faciebat, expuncta est. Sanctio verò ipsa, quia post diligentem revisionem â duobus, Pio V. & Gregor. XIII. nihil in ea animadversũ fuit, Confirmata. Non igitur tenentur jute divino omnes Christiani Romano Episcopo, quanquam esset Oecumenicus, obedire.

2. *Cor.* 10, 5. *Phil.* 2, 12. *Tit.* 2, 15. *Hebr.* 9, 17. 1. *Tim.* 5. *per tot.*

(a) *Eph.* 4, 11, 12. 2. *Tim* 2, 2. *Phil.* 2, 25. 2. *Cor.* 8. 23. *Episcopi Asiæ, Bythiniæ Cappadociæ successores Petri Cyrill. Thes. lib.* 12. c. 13. *Helidorus gradum tenet Petri. Hieron. ep.* 1. *&c. apud Marcum Ant. lib.* 2. c. 1. *num.* 12 *Cap. Unum Sanctum. Ext. de Maj. & ob. Cap. Meruit. Extr. de privilegiis. Sixtus Sen. lib.* 4. *Bibloth. A. lib.* 2. *de justâ hæreticorum punitione* c. 24 *Bell. lib.* 3. *de Eccl. milit.* c. 4. *col.* 113. *Marcus Ant. lib.* 5. *de Rep.* c. 2. *num.* 30. *lib.* 7. *cap.* 8. *per. tot. Cap. Majores* 5. *item quæritur. De Baptismo & ejus effectu. In Enchridio judicum violatæ religionis, Titulo* 1. *num.* 11. *Joh.* 6, 76. *lib.* 3. *de Laicis cap.* 22. *col.* 562. *glossa ad præm. Clementin: index Ex purg. jussit deleri.*

Propositio Tertia.

Etiamsi omnes, quos Papistæ pro Catholicis habent, tenerentur jure divino Romano Episcopo obedire, Ecclesiæ tamen Catholicæ, quas per Germaniam Evangelicas vocant, non tenentur.

Probatur *ingenere*, quia 1. Romanus Episcopus has dudum excõmunicavit, & adhuc excommunicat, cujus excõmunicatio aut excludit Evangelicos validè ex Ecclesiâ Romanâ, aut non validè. Posterius Monarchici non affirmabunt, si prius; qui sunt extra Ecclesiam, quid juris Romano Pontifici in eos? Atq; hæc causa fuit, cur Alphonso â Castro, *Vir acri ingenio*, docuerit, *hæreticos esse membra Ecclesiæ, alioquin Papæ nullum in eos jus esse.* Cui quamvis Bellarminus respondeat; *Hæreticos ob promissionem factam in baptismo, oportere esse in Romana Ecclesia, adeoq; reducendos; retinere quoq; characterem, sicut retinent ovęs prediţæ characterem dorso inustum*; ineptum tamen hoc est, cùm *omnis Ecclesiasticæ jurisdictionis terminus excõmunicatio sit*, ut multis probavit Dalmatiæ primas. Tùm *In specie* Ecclesias Evangelicas in Germania non concernit, ut quarum membra non sunt in Ecclesiâ Romanâ baptisata, nec characterem ejus acceperũt, nec quicquã ei promiserunt, sed ab initio Christianismi papatũ detestantur *qui a. ab initio repugnãt, nec baptisantur in Romana Ecclesia, in eos nihil juris esse Papæ, nec cogere eos posse.* pro cathedrâ decernit *Innocentius pp. IV.* idem fatetur Busiris, *Jacobus Simancas Pacensis Episcopus: Neminem esse cogendum ad novam aliquam religionem suscipiendam, qua nunquam obstrictus sit. Verum est, sed compelli quempiam non posse, ut in ea religione persistat, qua semel fuerat obstrictus, id verò absurdum &c.* Bellarminus, cùm respondendum esset ad exemplũ Christi, non redigentis eos vi, qui ab ipso discedebant, ait: *Negatur consequentia, primò, quia illi non obligaverant se ad manendum, sicut hæretici se per baptismum obligaverũt* Cùm itaq; Ecclesiæ, quæ nũc, per Dei gratiam, ultra seculum, â Papâ excommunicatæ sunt & excommunicantur, baptismum Romanæ Ecclesiæ non accipiant, quid sibi juris arrogat Romanus iste Episcopus? *nempe Papæ dicitur quasi, Papæ! quia mirabile est.*

IMPLEAT VOS DEUS ODIO PAPÆ!

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-355784-p0065-3

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-355784-p0066-8

Dancken/
sicht.

[illegible] saluagardia et protec[illegible]
[illegible]is signa diu[illegible]sarū [illegible]
[illegible]ondendū q[illegible] ipsos [illegible]
[illegible]cione repone. [illegible]
[illegible] in bono q[illegible] in malo [illegible]
redēptionis | Dig[illegible]
defensionis | [illegible]
profectiōis | ysa. vij [illegible]
infectionis | [illegible] a dn̄o [illegible]
dampnaciōis | tur [illegible]
saluacio[illegible] | min[illegible] ipse vob[illegible] sig
[illegible] virgo [illegible]cipiet et pariet filiū [illegible]
[illegible]onis est [illegible] eleuacio De
[illegible]uabit dn̄s [illegible] in naciones
[illegible]ctionis est [illegible]

moyses .i. d[illegible] [illegible] volens corā pl[illegible]
.i. coram [illegible] genere sicut iocu[illegible]
[illegible]rabilis [illegible] signa sua virgā suā [illegible] fili
[illegible] bn̄dic[illegible] qui virga est virtutis [illegible]
[illegible] .i. in [illegible] virgi[illegible]
[illegible] in serpentē. [illegible]
[illegible] tatus et in [illegible]
[illegible] signa corā [illegible]
[illegible] immutata dei sta
[illegible] Sc[illegible] q[illegible] ibi fuit mirabile sig
[illegible] fuit [illegible] virginitas Et
sic figurata fuit in vga aaron que sicca flo
ruit et flores et fructus produxit sicut dr̄ mu
[illegible] aaron [illegible]
[illegible]
[illegible] de radice yesse [illegible] vgo [illegible]
[illegible] carnalitatis [illegible] sep
[illegible]nitatem florem tū et fructū
[illegible] produxit quātū ad hūanū
[illegible] signo dr̄ illud [illegible] dictū ysa. [illegible]
[illegible] signū [illegible]

B.I.G. Farbkarte #13 Centimetres Inches Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

XXVI.

D. O. M. A.

DISPUTATIO I. ORDINARIA

contra

NECESSITATEM CONJUNCTIONIS EVANGELICORUM CUM ROMANO PAPATU,

Ad DEI Gloriam

ET

Exhibitæ Augustanæ Confessionis memoriam publicè propositæ

à

JOHANNE HULSEMANNO,
S.S. Theol. Doctore & Prof. publ.

Respondente

M. JOHANNE ULE Annæberg. Misnico,
Alumno Electorali.

In Majori Collegio Friderici ad diem 10. Julÿ.

WITTEBERGÆ,
Typis Hæredum CHRISTIANI THAM.

Anno CIↃ IↃ C XXX.

26.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-355784-p0067-4